MASTER NEGATIVE NO. 93-81449-8

AUTHOR:

LEWICKI, JOANNES BAPTISTA

TITLE:

DE CARDINALIS NICOLAI CUSANI PANTHEISMO

PLACE:

MONASTERII

DATE:

1873

Master Negative #

93-81449-8

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Lewicki, Joannes Baptista — Dissertation

De Cardinalis Nicolai Cusani pantheismo

Monasterii 1873 Nar 0 90 p

Doctor's dissertation at Münster university

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x

IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB

DATE FILMED: 5/28/93 INITIALS BE

FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

Lewicki

De Cardinalis Nicolai
Cusani pantheismo

DE CARDINALIS NICOLAI CUSANI PANTHEISMO.

DISSERTATIO PHILOSOPHICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM ACADEMIA REGIA
MONASTERIENSI
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE IMPETRANDOS
DIE XXVIII. MENSIS MAII A. MDCCCLXXIII
IN PUBLICO DEFENDET
SCRIPTOR

JOANNES BAPTISTA LEWICKI
PRESBYTER POSNANIENSIS.

MONASTERII.
EX TYPOGRAPHIA THEISSINGIANA.
MDCCCLXXIII.

PARENTIBUS CARISSIMIS

QUA SEMPER ERGA EOS FUIT FUTURUSQUE
EST PIETATE

D. D. D.

AUCTOR.

I.

Praeviae admonitiones.

II.

Quomodo varii varia de Cusano tulerint judicia paucis exponitur.

III.

Dei expositio secundum Cusanum sive, Deus „in solo esse“ consideratus.

IV.

Deus secundum Cusanum respectu mundi, sive Deus „in suo agere“ consideratus.

V.

Mundus secundum Nicolaum Cusanum.

I.

Praeviae admonitiones.

§. 1. Non me quidem fugit, tironis non esse quum in omnibus, tum in philosophicis rebus difficillimas et res maxime arduas dijudicandas suscipere. Attamen cardinalis Nicolai Cusani ingenium quum subtilitate disserendi atque acerrima acie, qua erat praeditum, adeo me affecerit, ut iterum iterumque viri hujus opera revolverem inspicerem-que, velim ne viri docti, clari arrogantiae atque insolentiae hoc mihi tribuant, quod omnium philosophicarum quaestio-num quaestionem difficillimam et fortasse ejusmodi, quae a nemine homine resolvi posset resolvendam mihi proposui.

Utrum Nicolaus Cusa in pantheistarum numero sit habendus, nec ne, quum in lucem ponere intendo, quis non videt negotium me suscipere illud spinosum atque argutum, in quo tot tantique jam insudarunt viri praestantissimorum ingeniorum, in quorum tamen numero nullus habetur, qui negotium illud sufficienti perfecerit modo — suscipere me videlicet negotium illud respondendi, quaenam intercedat ratio Deum inter, sive ens absolutum, et creaturam, sive ens finitum. Etsi enim non meas, sed clarissimi Nicolai Cusani hac de re proponam sententias atque explicationes, luce ta-men clarius patet, fore, ut facere non possim, quin vel invitus, quid de hac re sentiam, nonnullis in locis apponam. Hac vero de re aliquod ferre judicium quam sit res diffi-cilis ac periculosa, nonne luculentissimo modo philosophiae

historia testatur? Relationem illam inter ens absolutum et finitum claro et evidenti modo exponere idem est, — ut notissima repetam minusque sine dubio apta comparatione utar — atque tutam monstrare viam inter Scyllam saxum et Charybdim, nam in utroque negotio hoc ut assequi possimus nobis est nitendum, ut ita medium teneamus, ut ab neutra inminentium partium damnum nobis evadat. Is enim solus quaestionem dictam sufficienti modo se solvisse posset affirmare, qui ita rem exposuisset, ut esse necessitudinem atque relationem inter Absolutum et finitum certis et claris descriptam finibus perspiceretur, et ut simul pateret, hac relatione neque Absolutum, sua deposita natura, finiti suscepisse naturam, neque finitum sua cum Absoluto necessitudine finitum esse desiisse.

§. 2. Quam quidem relationem et necessitudinem, quae est Infinito cum finito, quum omnes fere, qui philosophiae operam dabant, exponere et explicare sunt nisi et quum omnes in eo conveniunt, quod finitum ens, sive mundus a se ipso non possit habere initium, quia natura ejus talis sit, quae possit esse et non esse, et quod statuunt aliquod principium absolutum, a nulla re dependens, a quo principio absoluto ens finitum sive mundus suum acceperit esse; si inspiciamus et consideremus varios illos modos, quibus philosophi finitum ab infinito esse suum dicunt accepisse, paucos tantum forsitan inveniemus, qui hac in quaestione non sint sibi contrarii. Varii revera varios proposuere docuereque modos, quibus finitum esset profectum ab infinito. Erant quidam, qui modum istum in eo constare dicerent, quod res finitae passivo quodam atque inerti modo emanassent sive effluxissent ex principio absoluto. Alii vero rem eandem ita exposuerunt, ut ens absolutum, quod ab aeterno unitas quaedam esset simplicissima et purissima sive identitas absoluta, in se ipso modo aliquo, qui neque dici neque intelligi posset, discretum esse factum et ex

modo unitatis simplicissimae atque identitatis absolutae in „alteritatis“ transiisse modum, in duas quodammodo abiisse partes dicerent, eamque discretionem, sive divisionem initium esse atque originem omnium, quae dicerentur finita, affirmarent. Alii deinceps infinito tantum veram tribuendam esse existentiam putabant, quodcunque vero finitum esset, hoc fallaci tantum atque illusorio modo existere docebant. Alii denique ita modum relationis Infinitum inter et finitum conati sunt interpretari, ut absolutum solum veraciter esse dicerent, verum non solum modo aeternitatis, (quod dici solet esse uno momento), sed etiam esse ita, ut ab aeterno simul in varias abiret formas et species essendi, eoque modo esse entis finiti nihil esset aliud, nisi infinitus quidam entis absoluti per finitas formas et species progressus.

Quem tamen fugit, haec omnia rem quaesitam minime in lucem ponere, quis non videt systemata illa omnia, etsi magni aliquid atque digni, quod admiremur, prae se ferunt, non esse tamen ejusmodi, quae rem obscuram reddant claram, obnubilatam manifestam, difficilem faciant facilem! In omnibus illis systematibus ita quaestio, de qua disserimus, est exposita, ut, aut infinitum factum sit finitum, aut finitum suum proprium esse non possit habere nisi ita, ut specie tantum sit ens, non revera, ut tantum modo existat illusorio, quod Indi nomine „maja“ appellaverunt. Sed quid mirandum, quaestionem istam systemata allata non solvisse? Quicunque de vi atque indole mentis humanae secum vel minime cogitaverit, quaestionem illam a mente humana modo, ut dicitur adaequato, omnino solvi non posse, facile affirmabit. In hoc enim mentis humanae posita esse videtur natura, quod nihil intelligit atque quid sit perfecte perspicit, nisi quod est finitum, quod per temporis videlicet et spatii explicatur momenta. Nemo unquam inveniri potest, qui alio modo veritatem quaerat, nisi per singula temporis

spatia, quia et ipse homo cum mente sua per singula tantum temporis est momenta ideoque omnis generis humani scientia rectissime opus constans ex partibus plus minusve perfectis, plus minusve perfecte inter se conjunctis (Stückwerk) solet appellari. Quae vero si ita se habent, nonne evidentissime ex eis consequitur, mentem humanam, quid sit infinitum, non posse perspicere?

Dici quidem solet infinitum id esse, quod non sit protensum per temporis momenta neque per spatii partes, sed quod, omnibus et temporis et spatii categoriis, ut ita dicam, privatum, modo existat aeterno. Sed hanc descriptionem sive expositionem rem minime faciliorem intellectu reddere, naturam infiniti nulla ex parte evidenter explicare, quis est, qui non videat? Quid enim ut intelligamus naturam infiniti nobis prodesse, quid ad hoc conferre potest, si declaratur infinitum non existere per tempus et spatium, sed modo aeterno? Hac declaratione quum negetur tantum, infinitum esse finitum et modus ille, quo sit infinitum, videlicet aeternitas, quid sit, non manifestetur, via, qua ad infiniti naturam cognoscendam progrediamur, nobis non monstratur, via illa ubi menti humanae sit quaerenda, est ignotum et tegumina illa ac velamenta, quibus infinitum oculis mentis humanae tegitur, non sunt reserata aut amota! Non potest igitur dici hominem novisse infinitum [1]). —

1) Notum est, fuisse philosophos qui docebant, infinitum sive absolutum posse ab homine cognosci, idque adeo claram et certam habebant veritatem, ut eam fundamentum systematum suorum dicerent. Schellingus ille clarissimus in suis: philos. Briefe über Dogmatismus und Kriticismus (cnfr. Ueberweg. Gescht. der Philph. der Neuzeit p. 243). „Uns allen wohnt ein geheimes, wunderbares Vermögen bei, uns aus dem Wechsel der Zeit in unser innerstes, von allem, was von aussenher hinzukam entkleidetes Selbst zurückzuziehen und da unter der Form der Unwandelbarkeit das Ewige anzuschauen“.

§. 3. Quod autem si verum est, quomodo quis existere potest, qui intelligere se jactetur modo evidenti relationem infinitum inter et finitum? Nos hoc putamus veritatem notissimam ac fundamentale principium, quod si quis recte cogitare rectaque de rebus ferre velit judicia, et, si relatio atque necessitudo, quae inter duo entia intercedat, percipienda sit atque exponenda modo adaequato, utriusque entis natura ei sit nota. Potest quidem relatio illa ac necessitudo, si unius tantum entis natura est nota, per modum conjecturae et hypotheseos, circumstantiis aliquibus observandis, aliquomodo describi, sed nunquam evidenter explicari. Quod si ita se habet, si evidentiam mens humana in exponenda relatione infinitum inter et finitum non potest assequi, sed tantum ingredi hoc in negotio viam conclusionum et conjecturarum, finiti naturam variasque ejus vires et proprietates observando et indagando, et si nihil est causae, cur hic mentis humanae labor vanus dicatur atque inanis, per se patet, licere menti humanae et vel maxime eam decere, ut quantum possit, modo et ratione, quae ipsi sint propria, studeat illam relationem reddere clariorem, ut, quamvis non sit futurum, ut noverit quomodo ab infinito sit profectum finitum, hoc tamen intelligat ac lucide perspiciat, illam relationem revera existere, finitum non posse esse, nisi ab infinito.

Et revera, quod nos mentem humanam, ut faceret diximus decere, hoc, si ea, quae mens humana decursu temporis intelligere atque perspicere est conata, inspiciamus, menti humanae ut instinctus atque appetitus quidam invincibilis datum esse videtur. Quid enim est, quod saepius et vehementiori cum studio ab iis, qui veritati inquirendae et sapientiae colendae vacabant, fuerit investigatum, quam relatio illa inter principium mundi absolutum et mundum? Quid enim est miranda illa Sinensium, Indorum, Persarum philosophia, vel si ita alicujus animo magis lubet, my-

thologia, nisi labor mentis humanae inmensus et desiderium ejusdem mentis ingens, eo praecipue tendens, ut inveniatur et reveletur principium mundi absolutum, utque cognoscatur, quomodo illud principium cum suo principiato cohaereat? Si Graecorum inspexeris philosophiam, non negabis eandem quaestionem in omnibus fere systematibus discuti. Eadem quaestio in illa philosophorum secta, quae solet dici Alexandrina, eo pervenit auctoritatis et gravitatis, ut eam praecipue philosophi sectae Alexandrinae celeberrimi sint scrutati. Secundum Philonem Judaeum[1]) *τὸ γενικώτατόν ἐστιν ὁ θεός*. Deus est[2]) *κρείττων ἢ ἀρετὴ ἢ ἐπιστήμη καὶ κρείττων ἢ αὐτὸ τἀγαθὸν καὶ αὐτὸ τὸ καλόν*. Medium autem, quo mens humana ad Dei cognitionem pervenit non est secundum Philonem scientifica argumentatio (*λόγων ἀπόδειξις*), sed immediata absoluti intuitio (*ἐνάργεια*). Summa autem Dei beatitudo ita ab eodem Philone describitur[3]): *ἄλυπός ἐστι καὶ ἄφοβος καὶ ἀκοινώτητος κακῶν, ἀνένδοτος, ἀνώδυνος, ἀκμὴς εὐδαιμονίας ἀκράτου μεστός*. Ex his patet, quantum Philonis interfuerit, ut Deus ens absolutum, perfectissimum, infinitum haberetur. Philosophus iste multus est in enumeratione et descriptione Dei, absoluti entis, proprietatum. Quae quidem proprietates, ab ipso Deo tributae, naturae entis absoluti magna ex parte optime conveniunt. Attamen quum idem Philo relationem, quae Deo est cum mundo, exponere incipit, jam illud ens perfectissimum magis magisque a mundo removetur et pro ipsius in ortum et existen-

---

1) Ueberweg Geschichte der Ph. des Alterthums p. 246.

2) Ueberweg l. c. p. 247: Deus perfectior quam virtus quam scientia et perfectior quam bonitas ipsa et ipsa pulchritudo.

3) l. c. sine tristitia est Deus, sine metu, malorum semper immunis, non indigus, doloris expers, indefatigabilis, beatitudinis summae plenus.

tiam mundi „influxu" virtutes[1]) aliquae personales inducuntur, quae, ipsius quodammodo vices gerentes, ipsum quasi mundo reddunt non necessarium. Itaque non contigit Philoni relationem inter Deum et mundum sufficienti modo explicare. Alius categoriae ejusdem philosophicae sectae philosophus Plotinos[2]) ille notissimus, quaestionem illam, in qua discutitur, quomodo ex uno plura sint orta, tam gravem duxit, ut ad eam exponendam non ausus sit accedere, priusquam a Deo petierit, ut sibi rectam hujus quaestionis cognitionem perhiberet. Plotinos refutat eos, qui modo pantheistico hanc quaestionem solvere studuerunt; nam eo modo hac quaestione soluta, unum necessario plura simul esset; quod dicitur *ἕν*, non potest *τὰ πάντα* esse, sed *πρὸ πάντων· τὸ ἕν* nulla est res omnium rerum, et tamen omnes; nulla res est *τὸ ἕν* eam ob causam, quia omnes res eo sunt posteriores; omnes res est *τὸ ἕν*, quia omnes sunt ex eo. Non divisione aut partitione *τοῦ ἑνός* orta sunt omnia ex eodem, quia si ita se res haberet, *τὸ ἕν* desineret *ἕν* esse. Dum *τὸ ἕν* in quiete manet, fiunt atque prodeunt ex eo omnes res eo modo, quo fiunt et prodeunt radii ex sole (nach der Weise der Ausstrahlung, *περίλαμψις*). Et hunc Plotini in quaestione nostra solvenda laborem et nisum vanum esse atque inanem est manifestum. Quomodo enim *τὸ ἕν* immutatum subsistit si omnia ex eo prodeunt? — Quaestio nostra illo temporis spatio, quod medium dici solet aevum, magno cum studio et ita a multis praestantissimorum ingeniorum viris disceptabatur atque discutiebatur, ut opimos inde philosophia retulerit fructus. Sed et hoc aevo, etsi omnes, qui tum philosophiae operam dabant — tam Christianorum quam Arabum philosophi, multa, quae hanc spectant quaestionem, a theologia didicerunt, non omnes

---

1) l. c.

2) Ueberweg l. c. p. 265 ff.

tamen ita rem proposuerunt, ut non pantheismi quaedam species iis possit objici. In quorum, tum suspectorum tum accusatorum pantheismi, numero etiam noster Cardinalis Nicolaus de Cusa a multis, iisque viris doctissimis habetur. Nobis tamen vir ille, qui mira pollet ingenii acie, qui in veritate inquirenda adeo est subtilis ac veritatis diligens, ut omnis, qui veritatem plurimi omnium, quae possunt amari, aestimat, amanti animo illi adhaereat necesse sit, qui denique in proponendis sententiis adeo est sublimis, ut quicunque non iis solis, qui sensibus subjacent, possit esse beatus, in Cusani operibus permulta inveniat, quae animo ipsius non parvi faciendam parabunt voluptatem; nobis ideo vir ille, de quo haec sumus praefati, non reponendus videtur in pantheistarum numero. Nobis tantum abesse videtur, ut Cusanus — quem semper ita intendimus dicere — in exponenda relatione inter Deum et mundum pantheismi possit argui, ut inter eos, qui hac de re recte senserint, facile habendus sit princeps. Est enim Cusanus vir ille, qui ea, quae mens humana de infinito conjiciendo et conjecturando scire potest, eo exposuit modo, ut et quicunque vel aliquantulum philosophiae gnarus perspicere queat, esse relationem inter infinitum et finitum, et videre etiam possit et finitum et infinitum propriam habere naturam, et alteram non esse cum altera confusam; finitum proprio esse modo essendi, infinitum vero, etsi finito tribuerit esse, non desiisse revera esse infinitum, absolutum, incommutabile. Sed hac sententia ita proposita, jam nobis est quam accuratissime monstrandum, Cusani de infinito et finito doctrinam omnis esse pantheismi immunem.

II.

Quomodo varii varia de Cusano nostro tulerint judicia paucis exponitur.

§. 4. Doctissimus professor Erdmann in suo „Grundriss der Geschichte der Philosophie[1]“ hanc praecisam ac dignam puto, quae primo loco ponatur, proposuerat sententiam. „Contrariae sententiae atque opiniones Gersoni, qui adeo est mysticus, ut plerumque Bonaventurae tantum repetat doctrinam, et Raymundi, qui nulli ex praecedentibus est tam similis, quam Anselmo illi, magna ratiocinandi facultate pollenti, omnis mysticismi experti, — illae contrariae sententiae atque opiniones in unum conveniunt in viro aliquo, in quo quid magis admiremur, utrum animi profunditatem, an rationis aciem et perspicacitatem, utrum pietatem sinceram, an curam mundi ejusque cognoscendi studium, difficile est dictu — in Nicolao de Cusa. Miro modo in ejus doctrina maxime variae systematum rationes, quae usque ad ejus vitae tempus in scholastica philosophia apparuerunt, unitae existunt. Hanc ob causam eum ad Erigenam regressum videri, in quo illae omnes (systematum rationes) conjunctae ostenduntur, facile videmus; in hoc tamen viro principium illud ita auctum amplificatumque apparet, ut omnia eo contineantur, quae tempora Erigenam sequentia in philosophia protulerunt. Quaestionem illam,

---

1) Berlin 1869. §. 223. p. 442 et 43. Hoc loco ponenda esset vita Cusani nostri et afferenda opera de eo conscripta. Liceat nobis non sequi aliorum mores. Vitam ideo non apponimus quia optimae Cusani nostri inveniuntur biographiae in operibus de historia philosophiae tractantibus et nobis nihil novi hac de re invenire contigit. Opera vero de ejus philosophia tractantes in decursu dissertationis afferemus.

tam diu acriterque disceptatam, de realismi aut nominalismi veritate, Nicolaus noster ita solvit, ut neque realismum profitentes dicendos esse pantheistas, neque nominalismo adhaerentes ἀθεούς appellandos, ostendat. Platonismi et atomisticae doctrinae illius temporis sententiae in Cusani systemate non sibi adversantur. Similiter atque philosophi ejus temporis, quo philosophia scholastica maxime florebat, excerpit Cusanus multas sententias ex scriptis peripateticorum Arabum et ex ipsius Aristotelis scriptis . . .

Denique quum animus ejus maxime sit ad studium mathematicarum et cosmologicarum rerum propensus Rogero Baconi, et quum esse individuale plurimi habeat, adeo Guilelmo Occamo et nonnullis in sententiis et opinionibus Gersono et Raymundo adeo videtur esse propinquus, ut facile aliquis eum nonnulla ex operibus eorum, qui principes philosophiae scholasticae decrescentis habentur, suspiciat sumpsisse. Radii illi, quos Erigena, illud primum scholasticae philosophiae lumen, diffudit, in Nicolao, qui philosophiam illam concludit, quasi in foco colliguntur." Haec ex libro clarissimi professoris partim ad verbum, partim ad sensum attulimus, quia optima haec habuimus, ex quibus ingenium atque natura systematis Cusani nostri modo generali atque uno quodammodo oculi intuitu cognosci posset. Necessarium enim esse putamus, ut, si de viri alicujus sententia atque opinione singulari sive, ut dicitur speciali, sit preferendum, generalia ejus, quae profiteatur et tueatur principia, memoria teneantur. Est igitur Cusanus vir ejusmodi, qui non ita ratiocinium plurimi faciat, ut non etiam mysticorum modo quasi per intuitionem infinitae veritatis cognosci posse veritatem doceat. Praestat Cusanus magna, quia sincera pietate, quae tamen minime eum prohibere potest, quin et Arabum studeat philosophiae et, quidquid in ea invenerit veri, hoc suum locupletet pleniusque reddat systema. Ob hoc denique ejus laudandum

est ingenium, quod mediam illam tenuit viam, qua si quis progredi velit, ita sit „realista" necesse est, ut non fiat materialista et ita sit „idealista"[1]), ut non implicetur portentosis pantheistarum somniis. Jam ita generalis Cusani nostri in mente habentes sententias, ad specialem quaestionem nostram progrediamur, monstremusque primum, quemadmodum varii viri docti non eodem modo de pantheistica natura systematis Cusani sint opinati, et quemadmodum, quum exstiterint viri magnae auctoritatis, qui systema cardinalis nostri pantheisticum declaraverunt, tum etiam non pauci fuerint, qui ne speciem quidem pantheismi hoc systema prae se ferre sint professi.

§. 5. Et primum quidem judicium doctissimi ac celeberrimi Doctoris Alberti Stoeckl[2]) proponemus, qui, quum de historia philosophiae medii aevi opus exaraverit non spernendae auctoritatis, apud multos, et quidem jure ac merito, optime de philosophiae historia dicitur meritus. Clarissimus Stoeckl expositae Cusani creationis ex nihilo theoriae hoc adjecit judicium: „has omnes declarationes (de

---

1) Haec duo vocabula realista et idealista eo sensu, quo iis nostra memoria utuntur, adhibuimus.

2) Geschichte der Philosophie des Mittelalters III. Band — Periode der Bekämpfung der Scholastik —, . . . Wir sehen, diese Bestimmungen lauten im allgemeinen ganz unverfänglich und lassen die Schöpfungslehre Cusa's im Ganzen genommen als hinreichend correct erscheinen. Aber freilich lassen sich dieselben mit den früher entwickelten Lehrsätzen nicht recht in Einklang bringen. Wir haben nämlich gehört, dass nach Cusa's Lehre Alles was in Gott ist, auch in der Welt sei, nur dort in complicirter, hier in explicirter Weise. Die ganze Fülle der Allgemeinheit, welche Gott selbst ist, hat sich in der Welt in ihre Bestandttheile auseinandergelegt . . . Die Voraussetzung, dass Gott zu der Welt wie das erfüllte Allgemeine zu seinen Besonderheiten sich verhalte, muss entweder zum Pantheismus führen, oder sie muss den Widerspruch in das System eintragen . . . . l. c. p. 67.

creatione mundi), videmus omnino non esse falsas nec fallaces et Cusae doctrinam de creatione mundi omnino satis rectam haberi posse. Per se tamen patet, declarationes prius dictas cum opinionibus supra expositis non facile componi posse. Comperimus enim secundum Cusae doctrinam omnia, quae in Deo sint, esse quoque in mundo, sed in Deo esse omnia complicito, in mundo explicito modo. Omnis plenitudo universalitatis et abundantia, quae Deus ipse est, in mundo per partes explicata est. Qui Deum ita se ad mundum habere docet, quam se habet universalitas ad singularitatem, quomodo aut ad pantheismum non perveniat, aut systema, quod sibi ipsi contradicat, non proponat?... A pantheista tantum dici potest, mundum Deum esse visibilem et apparendo manifestum.... Hoc loco videmus, quomodo ... falsum principium fines ac limites, quas christiana mens ei ponere conatur, perrumpat fiatque causa opinionum, quae cum pantheistarum systematibus concinant." Ex his jam facillime cognosci potest, doctissimum Stoeckl, quamvis audiverimus eum loquentem, Cusani doctrinam de creatione mundi satis rectam haberi posse, magis propensum esse ad Cardinalem nostrum pantheismi accusandum, quam eum ab eo liberandum.

§. 6. Alter vir celeberrimus, Henricus Denzinger, professor, severius etiam Cusanum nostrum judicavit. Professor hic clarissimus, allatis causis quibusdam, cur cardinalem nostrum in Gnosticorum posuisset numero, hanc[1]) generalem atque summariam quasi proposuit sententiam: „Hi modi dicendi (a professore Denzinger allati videlicet), haec responsa, hae inclinationes satis graves sunt causae, cur Nicolaum Cusanum, forsitan invitum, pervenisse judicemus ad modum docendi, qui favet pantheistarum ideis, et cur dicamus, voces in scriptis ejus inveniri, quae theoriam emanationis in mentem vocent; sane Ritter sentit, id non esse praetereundum, Cusanum operam dare, ut ostendat mundum et Deum inter se differre, eumque theoriam emanationis non probare. Et nos quidem his assentimur, non tamen nobis constat, num Cusanus hoc sufficienti perfecerit modo". Non potest igitur secundum doctissimum Denzinger Cusanus noster a pantheismo excusari, quia, et systema ejus tales contineat modos dicendi et responsa talia, et inclinationes ejusmodi, in quibus pantheismi videantur semina esse inclusa, et quia studium atque conatus Cusani non sint ejusmodi, qui satis praecise differentiam inter mundum et Deum affirment et emanationis theoriam negent. Sed his jam cuncludamus[1]) narrationem eorum, quae ab iis, qui systema Cusani impugnant, solent proferri. Nonnullas speciales quaestiones et sententias, quae praeterea ad demonstrandum Cusani pantheismum a nonnullis sunt pro-

1) Denzinger H. Dr. Vier Bücher von der religiösen Erkenntniss I. B. p. 361 „Solche Antworten, solche Ausdrucksweisen, solche Zuneigungen berechtigen wohl zu dem Urtheil, dass Nicolaus von Cusa zu einer Lehrweise sich habe führen lassen, welche pantheistische Vorstellungen begünstigt, dass Ausdrücke vorkommen, welche an Emanationslehre erinnern, wie auch Ritter urtheilt mit dem Beisatz, dass man seine Bemühungen nicht übersehen dürfe, den Unterschied zwischen Welt und Gott geltend zu machen und dass er die Grundsätze der Emanationslehre nicht billigt. Auch wir geben dies zu, zweifeln aber sehr, dass Cusa dieses in genügender Weise gethan habe.

1) Facere non possumus, quin unum etiam de philosopho nostro afferamus judicium, quod documentum esse potest, quomodo Galli anno 1810 de viro nostro senserint. Haec enim in opere: Dictionnaire universel et historique Parisiis anno 1810 edito de Cusano inveniuntur: „Nicolas de Cusa, homme savant et pieux mais en même temps esprit faux et visionnaire se laissait dominer par une imagination dereglée. Il fut singulier dans ses sentiments, subtil jusqu'à se rendre inintelligible, ennemi du naturel, amateur de l'allégorie jusqu'au plus ridicule excès. Confr. Ersch. J. S. und Gruber J. G. Allgemeine Encyclopaedie der Wissenschaften und Künste.

positae, locis opportunis afferemus. Nunc jam ad eorum sententias enarrandas accedamus, qui Cusanum negant esse pantheistam.

§. 7. Ex his primus nobis offertur Dr. Clemens. Vir hic primus erat, qui accuratius ac diligentius Cusani philosophiam studuit intelligere atque explicare et qui in libello[1]) suo praestantissimo „Giordano Bruno und Nicolaus von Cusa“ ita philosophiam Cusani quoad quaestionem, quam tractamus, intellexit et exposuit: „si principium fundamentale philosophiae Cusani sententia una generali velis exprimere, tunc dicere hoc principium potes doctrinam de

1) Giordano Bruno und Nicolaus von Cusa — eine philosophische Abhandluug Bonn 1847. p. 38 et 39. Um den Grundgedanken der Cusanischen Philosophie in einer allgemeinen Formel (an die Spitze zu stellen) darzustellen, so lässt sich derselbe bezeichnen als die Lehre von der freien Offenbarung Gottes im All, als dem Inbegriff des Endlichen, durch Schöpfung. —

p. 73 et 74. Alles geschaffene ist durch den Willen und zwar durch den freien Willen Gottes geschaffen; denn Gott, wenn er auch seiner Wesenheit gemäss handelt, wirkt darum noch nicht alles aus der Nothwendigkeit seiner Natur, da er, als der Unbedingte, keiner einschränkenden Nothwendigkeit unterliegt und eben auch der freie Wille seine Wesenheit ausmacht. Dazu was könnte ihn, der Alles, was er sein kann, in unendlicher Weise wirklich ist, und der mithin aus dem Geschöpfe keinen Zuwachs erhält, zum Schaffen bewegen, wenn nicht allein die Natur der Güte, die sich eben offenbaren will? l. c. p. 149. Und wenn dennoch bei Cusa Ausdrücke und Wendungen vorkommen, welche bei oberflächlicher Betrachtung, oder unvollständiger Kenntniss seiner Lehre, die Unterschiede zwischen dem Unendlichen und Endlichen aufzuheben und eine Auslegung der absoluten Identität zuzulassen scheinen, wie sie sich bei Bruno findet, so hat dies theils in dem Streben die höhere Erkenntniss durch die niedere zu vermitteln und in der Ungenügenheit der Sprache zu diesem Zwecke, seinen Grund, theils darin, dass es ihm um die Einsicht in das göttliche Sein und Leben als ein überweltliches und nicht abstrakt ausserweltliches zu sichern, vor allem darauf ankam, die Innerweltlichkeit Gottes festzusetzen.

libera Dei unitrini revelatione in mundo, qui est idea finiti, per creationem. Quaecunque creata sunt, voluntate Dei et libera quidem voluntate creata sunt; Deus enim etsi, quaecunque agit, essentiae suae convenienter agit, non ideo omnia necessario agit, nam, quum Deus ens absolutum sit, nulli limitanti eum subjacet necessitati, praeterea libera voluntas ejus idem est atque ejus essentia. Deinde quid eum, qui est, quaecunque esse potest, modo infinito reali, et qui eam ob causam nihil a creaturis accipit, ut crearet commovere posset, nisi bonitas, quae intendit se manifestare?“ Quid Doctor Clemens de quaestione nostra in Cusani philosophia senserit, jam ex his, quae attulimus, patet. Eadem doctissimi Clementis opinio luculentius etiam elucet ex iis, quae inde a pagina 145 o. c. de Cusani philosophia cum Bruni doctrinis comparata dicuntur. Quae tamen, quia longum est afferre, omittimus, haec autem ex eodem libello etiam apponimus: „si apud Cusanum inveniuntur voces et modi dicendi, qui, nisi accurate considerentur, vel nisi doctrina ejus sufficienter cognoscatur, videntur quidem differentiam inter infinitum et finitum amovere explicationemque absolutae identitatis non excludere, quemadmodum hoc apud Brunum invenitur, hujus rei causa partim est studium assequendae cognitionis altioris mediante cognitione inferiore et sermo, qui non est satis idoneus, quo haec Cusanus possit assequi, partim, quod Cusano, quum ejus interesset, ut demonstraret, essentiam et vitam divinam esse supramundanam, et non abstracte extramundanam, hoc maxime erat cordi, ut Deum etiam in mundo esse ostenderet.“ Sed jam alium virum audiamus, quomodo in systemate Cusani nostri non contineri pantheismum doceat.

§. 8. Viri nunc allaturi sumus sententiam, qui doctissime et nitidissime disseruit de philosophia Leibnitzii cum doctrina Cardinalis nostri comparata, videlicet profes-

soris Zimmermann. Qui professor doctissimus haec[1]) de Nicolao nostro, nostram quaestionem spectantia, proposuit: „pantheistae non possunt docere, revera esse res multas, sed esse vere unam tantum causam et praeter eam videri multas res esse uti ab ea productas. Qui vero individualismum profitentur, multas res esse vere, quae ab una vera et reali producta sint causa, putant. Hoc autem cardinalis Nicolai Cusani individualismi est signum, quod philosophus hic studet demonstrare, omnia, quae multa esse videntur, esse revera multa, et omnia, quae sunt, quum sint relativa et imperfecta, referenda esse tanquam ad causam ad unum ens absolutum et perfectum, ex quo omnia relativa, omnia alia, quaecunque sunt, pendeant." Haec igitur doctissimo Zimmermann est causa, cur Cusanum non esse pantheismi arguendum putet, quod Cusanus tantum abesse videtur, ut res singulares inane tantum atque illusorium esse doceat habere, ut unamquamque rem tam realiter dicat esse, quam (sit) ens absolutum, sed ens absolutum esse modo independenti, absoluto, ceteras res vero modo finito. Non minus nitide quam erudite liberat Cusanum nostrum a pantheismi accusationibus et praecipue iis, quae ei a doctore Stoeckl sunt factae, Dr. Scharpff[2]).

1) Sitzungsberichte der Kais. Acad. d. Wiss. B. VII. Jahrg. 1852. Der Pantheismus kennt keine wahre Vielheit der Einzelwesen, sondern nur eine wahre Einheit der Grundursache mit dem Schein der Vielheit des bewirkten, der Individualismus dagegen eine wahre Vielheit in der Wirkung mit einer wahren Einheit in der Ursache. Zurückführung des vielfachen Scheins auf ein vielfaches Sein und des letzteren als eines abhängigen auf ein letztes unabhängiges, unbedingtes Sein, von dem alles bedingte, jedes andere abhängt, ist die Parole des Cusanischen Individualismus.

2) Der Cardinal und Bischof Nicolaus von Cusa als Reformator in Kirche, Reich und Philosophie des XV. Jahrhunderts. Tübingen 1871. — Quod opus pars est altera libri editi 1843. Monguntiae.

Qui vir doctissimus et Erdmanni judicium, quem in superioribus commemoravimus, affert, ex quo clarissime patet, et clarissimum Erdmann[1]) eorum repudiare sententiam, qui Cusano imputant pantheistarum doctrinas. Sed nos jam ex iis, quae in hujus sectionis exordio exposuimus, potuimus perspicere, quae esset Erdmanni de Cusani pantheismo opinio. —

§. 9. Non praetermittendus nobis quoque videtur Josephus Bach, qui in libello suo „Meister Eckhart" [2]), doctissime ac pulcherrime conscripto, de philosopho nostro, quem discipulum dicit magistri Eckharti, nonnulla habet quaestionem nostram spectantia. Doctissimus Josephus Bach ingenium Cusani, quod vere germanicum esse judicat, multis effert laudibus; in ejus systemate praeclaras dicit inveniri ideas multaque in eo contineri, quae a philosophis temporis recentioris sint proposita, haec tamen omnia ita esse in Cusani systemate exposita atque composita, ut omnis pantheismi vel species ex ejus doctrina sit remota. Haec sufficient de iis, quae viri Germaniae de pantheismo Cusani, qui ei objicitur, sunt opinati. Audiamus jam, quid Italiae philosophus inter magnos multis ex rationibus, si metaphysicam tantum ejus spectaveris, forsitan maximus et secundum doctorem Clementem[3]) unus maximorum philosophorum nostri temporis, Vincenzio Gioberti, de quaestione illa, num Cusanus inter pantheistas sit reponendus, putaverit.

§. 10. Hic vir ita de Cusano nostro judicat[4]): „Non justam igitur ob causam Cusanus pantheismi arguitur, quod ii praecipue faciunt..., quibus non sufficere id vi-

1) Confr. l. c. B. I. p. 448.

2) Meister Eckhart, der Vater der deutschen Speculation. Wien 1864. p. 225.

3) Giordano Bruno und Nicolaus von Cusa p. 158.

4) Gioberti del primato morale e civile degli Italiani edt. II. Brusselle 1845 avertenza p. CCCXVII.

detur, si Deus a mundo distinguatur et quibus id est cordi, ut Deum a mundo separent, quum ea, quae relativo enti tribui possunt, absoluto quoque tribuant et genus quoddam anthropomorphismi proponant, quod, etsi maxime spirituali fiat modo, menti veri philosophi sensu carere videtur." Doctissimus Gioberti iis tantum putat systema Cusani videri speciem pantheismi prae se ferre, qui tam non accurate ens relativum et absolutum distingunt, ut Deum, ens absolutum ita describant atque tam rudi modo definiant, ut vix, aut ne vix quidem, ens absolutum possit haberi. Idem vir clarissimus summis quoque laudibus ingenium philosophi nostri effert virumque eum esse dicit, qui paucis illis viris sit adnumerandus, quibus primi in scientiae regno tribui debeant loci[1]). Quanto haec, quae V. Gioberti de philosopho nostro sensit, differunt ab ea Galli cujusdem opinione, quam una superiorum adnotationum apposuimus! Maximam igitur vidimus esse sententiarum de Cusano nostro varietatem. Omnes fere viri, qui diligentiori cum studio operibus ejus legendis scrutandisque incubuerunt, multi sunt in indole ejus, qua praeditus erat, admiranda, sed non omnes eodem modo sensum doctrinae ejus intellexerunt atque proposuerunt. Allatis illis variis judiciis, in sententia de Cusano nostro ferenda dissentientibus, jam conabimur secundum indolem nostram, quam nullam habemus, doctrina philosophi nostri consideranda et exponenda monstrare, eos tantum doctrinam istam recte intellexisse justumque de auctore ejus tulisse judicium, quibus persuasum est, Cusanum ita relationem Deum inter et mundum exposuisse, ut nullo modo pantheismi accusari possit. Et quidem, quum pantheismus ea dicatur doctrina, quae essentiam Dei et mundi sive absoluti et relativi ita non distinguit, ut ens utrumque — absolutum videlicet et relativum, proprio essendi

1) l. c.

modo esse non perspiciatur, nobis Cusani doctrinam a pantheismi accusationibus liberare studentibus hoc erit praecipue demonstrandum, Deum secundum Cusanum nostrum, etsi mundus ab eo suum acceperit esse, naturam suam infinitam, absolutam, non mutasse, et mundum ita esse a Deo, ut existentia ejus non sit fallax et illusoria, sed vera et realis. Quod quemadmodum simus perfecturi, ex progressu dissertationis nostrae videbitur.

III.

Dei expositio secundum Cusanum sive Deus in solo esse consideratus.

§. 11. Quid sit Deus? Hanc gravissimam esse quaestionem nemo nescit, qui naturam et indolem mentis humanae conatus est scrutari. Quid sit Deus? Hoc maxime uniuscujusque ut sciat interesse debet, et quis ignorat, quam variis iisque saepe tam contrariis modis ad hanc quaestionem fuerit responsum? Deum esse pauci quidem negaverunt modo directo, sed quam multi sunt, qui eam ob causam Dei negatores sunt dicendi, quod id eum esse dicebant, quod si Deus esset, omnino non esset. Quomodo, ut exemplo utamur, philosophus ille recentissimae memoriae in clarissimorum habitus numero, Fichte, dici potest docuisse, Deum esse, qui ita de Deo opinatur: „versteht man unter Sein, was für mich Object ist, und nennt doch jeder den Complex alles Objectiven Welt, so ist Gott als Sein fassen, Weltvergötterung oder Verweltlichung Gottes d. h. Atheismus. Alle, die das Absolute als Sein nehmen, haben es aus sich ausgetilgt." Omnes igitur, qui absolutum

1) Cnfr. Erdmann Grundriss d. Geschichte d. Philosophie. II. §. 313. p. 313.

dicunt e s s e *ἄθεοί* sunt appellandi, quippe qui absolutum seu potius ideam absoluti in sua mente existinxerint. Quia quodcunque menti humanae uti objectum se offert, ens est aliquod et quia omnium objectorum sive entium summa mundus dicitur, ideo jam Deus secundum Fichte ens dici non potest. Quod quamvis a multis summa aliqua speculatio appellari ac plurimi possit aestimari, nobis tantum documentum est, philosophum Fichte non satis sublimem fuisse in speculatione de Deo, fatendumque est nobis, philosophum illum, in hac saltem de Deo sententia, nullam fere mentis ostendisse aciem atque subtilitatem. Si enim ens Deus non est dicendus, tunc neque eum e s s e potest affirmari, ex quo jam sequitur, non eos, qui Deum ens dicant, atheismi esse arguendos, sed philosophum Fichte.... Sed philosophum Fichte in eo errasse, quod, quamquam de absoluto loquitur, finitum tantum revera admittebat esse, in promptu est. Ex quo id etiam manifestissime elucet, philosophum Fichte gravissimam illam quaestionem ac difficillimam non solvisse, sed non solutam transiluisse. Quam alio et praestantiori modo intelligebat mysticus ille philosophus magister Eckhartus[1]), difficillimum esse dictu, quid sit Deus! „Magni magistri, inquit, Deum appellant purum esse (puram essentiam), sed Deus tam est supra omne esse

---

1) Meister Eckhart — Joseph Bach p. 67.

Grosse Meister heissen Gott ein lauter Wesen; er ist aber hoch über Wesen, so wie Engel über einer Mücke. Ich sage es ist unrecht, dass ich Gott heisse ein Wesen, als ob ich die Sonne heisse schwarz oder bleich. Gott ist weder dies noch das. Kann ich sprechen, Gott ist nicht ein Wesen, so habe ich ihm Wesen nicht abgesprochen, ich habe es in ihm nur emporgehoben und gewürdigt. St. Augustin spricht: Gott ist Wesen ohne Wesen, weise ohne Weisheit, gut ohne Güte, Gewalt ohne Gewalt. Gott ist in allen Dingen wesentlich wirkend und mächtig und doch ist er nirgends. . . . Kein Bild öffnet die Gottheit und sein Wesen.

(essentiam), quam angelus supra culicem. Equidem ita non rectum esse puto, Deum dicere esse (essentiam), quam si solem dicerem nigrum sive luridum. Deus neque hoc, neque illud est. Si deum puto non esse aliquod ens, non nego eum esse, sed extollo tantum illud ejus esse et digno afficio honore. Sanctus Augustinus dicit: Deus est esse sine esse, sapiens sine sapientia, bonus sine bonitate, potens sine potestate, magnus absque quantitate. Deus in omnibus rebus est facere et posse et tamen nusquam est. Nulla imago neque Deum nobis ostendit neque ejus naturam, quia est supra naturam et nomina.“ Hactenus magister Eckhartus. Ut melius etiam perspiciamus, quae difficultates sint superandae Dei definitionem sive, si hoc melius, lector benevole, tibi placet, descriptionem astruere nitenti, nonnulla etiam hac de quaestione ex philosophia sectae, quae dicitur alexandrina, afferemus. Secundum Plotinum principium absolutum, quippe quod sit supra omne ens definitum et divisum, negativo primum modo describi potest[1]): *ἐν ἀφαιρέσει πάντα τὰ περὶ τούτου* (vidl. *πρώτου*) *λεγόμενα· αὐτὸς ἄρα ἐστὶν ἐνέργεια ὑπὲρ νοῦν καὶ φρόνησιν καὶ ρωμήν· ἐπέκεινα οὐσίας, ἐπέκεινα ἐνεργείας καὶ ἐπέκεινα νοῦ καὶ νοήσεως, ἐπέκεινα τῶν ἀρίστων· ὁ θεὸς οὐ πεπερασμένος.* Ex quibus patet, nullum inveniri secundum Plotinum in humana cogitatione conceptum, nullam in humano sermone vocem, quae adeo sint sublimes, altae, magnificae, ut possit iis exprimi atque exponi, quid sit Deus, absolutum om-

---

1) Cnfr. E. Zeller: Philosophie der Griechen B. III. p. 702; editio anni 1852. „Omnis de primo principio sermo negativus sit oportet. Ipsum enim virtute potentiae supra mentem et rationem et vitam est exaltatum. Altius est et praestantius substantia, potentia, mente, cogitatione et altius ac praestantius rebus praestantissimis. Deus non est definitus nec circumscriptus.“ Cusanus ipse profitetur (Aplg. d. ign. f. XXX.) declarasse se Deum et descripsisse secundum Dionysium, Augustinum etc.

nium, quae sunt, principium. Principium illud absolutum secundum eundem Plotinum est *πάσης σιγῆς ἀῤῥητότερον καὶ πάσης ὑπάρξεως ἀγνωστότερον*. Quae si quis accurate perlegerit perlectaque diligentissime consideraverit, jam sufficienter perspiciet, maxime absconditam ac difficillimam esse rem dicere, quid sit Deus.

§. 12. Quod si ita se habet, quid mirum, quod et Cusanus noster varias afferat ideas, variis utatur dicendi disserendique modis, ut hanc gravissimam simul ac difficillimam quaestionem aliquo saltem modo dilucidet. Etenim Cardinali nostro hoc maxime erat manifestum, Dei essentiam a nullo hominum intelligi posse, nullam in scientia humana tam subtilem tamque sublimem inveniri ideam, qua Dei natura possit exprimi. „Plane intelligo, inquit, in regione omnium creaturarum non reperiri Deum, nec nomen ejus, et quod Deus potius aufugiat omnem conceptum, quamquam affirmetur aliquid; quum in regione creaturarum non habens conditionem creaturae non reperiatur, et in regione compositorum non reperiatur, nisi compositum et omnia nomina, quae nominantur, sunt compositorum, compositum autem ex se non est, sed ab eo, quod antecedit omne compositum. Et licet regio compositorum et omnia composita per ipsum sunt id, quod sunt, tum quum non sit compositum, in regione compositorum est ignotum. . . Deus neque nominatur, neque non nominatur, neque nominatur et non nominatur, sed omnia, quae dici possunt distinctive et copulative per consensum vel contradictionem illi non conveniunt propter excellentiam infinitatis ejus, ut sit unum principium ante omnem cogitationem de eo formabilem." Jam ex his videmus, Cusani descriptiones Dei fore maxime sublimes neque facile futurum, eas sensu eo intelligere, quo eas Cu-

1) Dialogus de abscondito sive ignoto; operum t. II. fol. III.

sanus intelligi voluit. Sed jam pro indolis nostrae viribus descriptiones illas propronamus.

Et saepissime quidem Deum dicit Cusanus infinitum sive maximitatem absolutam — „maximitas enim absoluta indubie ab omnibus nationibus Deus creditur." De hoc vero infinito sive maximitate absoluta, quae Deus creditur, haec Cusanus opinatur: „Omnis[1]) inquisitio in comparativa proportione existit, propter quod infinitum ut infinitum, cum omnem proportionem aufugiat, ignotum est. . . Quoniam[2]) ex se manifestum, infiniti ad finitum proportionem non esse, est et hoc clarissimum, quod, ubi est reperire excedens et excessum, non devenitur ad maximum simpliciter, quum excedentia et excessa finita sunt, maximum vero tale infinitum est necessario; dato igitur quocunque, quod non sit ipsum maximum simpliciter, dabile majus est manifestum." Haec ita Cusanus de infinito, sive maximitate absoluta sive maximo simpliciter — quae voces idem apud eum significant — exposuit, opponens ideam infiniti generaliter ideae finiti. Sed quum ejus plurimum interesset, ut accuratissime intelligeretur, quid idea infiniti vellet exprimere, multis in locis operum suorum, quos non omnes possumus afferre, ideam infiniti singulis finiti generibus opponit eoque modo lucide ac perspicue naturam infiniti eruit atque explanat. „Non[3]) devenitur, inquit, in numeris ad maximum, quo major esse non possit . . . semper per abstractionem dabilis minor, sicut per additionem major. . . Et[4]) sicut finibile tempus non potest unquam ita augeri, quod fiat simile infinibili perpetuo, ita nec

1) De doct. ignor. l. 1. c. II.
2) l. c. c. 5.
3) l. c. c. 5.
4) de vent. sap. c. 19.

initiatum perpetuum potest unquam aequari inprincipiato[1]) aeterno." Neque igitur numero, neque tempori subjacet infinitum, quia infinitum sive maximum simpliciter non est in proportione cum iis, quae numerantur, quae sunt per temporis momenta. Sed jam ex his allatis nobis consequi videtur, seu potius vià nobis monstratur modusque manifestatur, quibus menti humanae, si recte sentire de Deo cupiat, secundum Cusanum est utendum. Deus enim, secundum Cardinalem nostrum, quum principium sit omnium, quae sunt, natura sua super omnia omnino elatus sit necesse est. Hic enim et non alius sententiarum, quas attulimus, sensus esse videtur. Nam ita legimus naturam infiniti, quod Deus creditur indubie ab omnibus nationibus, differre a natura finiti, ut non possit ex iis componi proportio; finiti naturam in eo esse positam, quod perfectior, quam sit, possit fieri, esse enim in eo excedens et excessum; Deum vero maximitatem esse absolutam, maximum simpliciter, Deum videlicet, esse omni indigentia expertem, esse eum tam perfectum, ut nihil esse et cogitari possit, quo possit carere; Deum, si temporis spectetur natura, supra omne esse tempus, etiam supra id, quod tempus diceretur infinibile sive perpetuum, esse eum videlicet inprincipiatum, aeternum. Est igitur Deus philosophi nostri, quum illi infinitatis categoria sit tributa, ens illud, quod ita est, ut ejus modus essendi non possit tangi neque tempore neque spatio, nam ubi tempus et spatium sunt essendi modi, ibi non potest perveniri ad maximum simpliciter, nam tempus et spatium possumus metiri et numerare, tempus et spatium cogitamus per partes et particulas; ex quo sequitur necessario id, quod ens vere, realiter, actu infinitum, ens perfectissimum eo oportet sit modo, quo nulla rerum

1) Notissimam illam videmus hic a philosopho nostro usurpari distinctionem aeterni a perpetuo et tempore.

finitarum esse possit — modo videlicet, qui a mente humana modo evidenti et adaequato non possit comprehendi. Quam igitur longe altius atque verius Nicolaus noster docet, quid sit Deus, quam philosophus Fichte et multi alii philosophi, qui, quum Deum intellexissent non posse haberi aliquod esse universale, quasi omnium entium finitorum sive objectorum, ut voluit Fichte, complexum, Deum omnino aliquid reale esse negaverunt. Quanto vero cum studio quaesiverit explicare quantaque cum sagacitate exposuerit Cusanus noster, Deum et revera esse et a mundo differre, hoc optime ex eo etiam conspiciemus, quum alteram categoriam, vel quasi nomen, quod philosophus noster Deo tribuit, cognoverimus, quum videlicet Cusanum exponentem audiverimus, cur Deus appellandus sit „maximum absolutum, cum quo minimum coincidat", sive coincidentia oppositorum vel contrariorum, quod jam sumus ex scriptis ejus allaturi. —

§. 13. Cusanus quum esset vir in rebus mathematicis maxime eruditus, exemplis atque imaginibus, ex mathematicis disciplinis sumptis, propositiones philosophicas[1]) pro more Pythagoreorum demonstrare solebat. Itaque et illam ideam „maximi, cum quo minimum coincidat", ut melius ostenderet, eam ad Dei naturam describendam maxime esse convenientem, ita studuit exponere et dilucidare, ut

1) De quo Cusani more utendi mathematicis veritatibus ad exponendas veritates metaphysicas haec olim opinatus est Doctor Riess: Bei alledem hat die Cusanische Philosophie (Confr. Tüb. Quartalschrift Jahrg. 1847. — Recension von Dr. Clemens: Jordano Bruno und Nicolaus Cusa) die grosse Einseitigkeit, das Verhältniss Gottes zur Welt vorherrschend quantitativ aufgefasst zu haben.... Spinoza und Malebranche zeigen hinlänglich, dass der Pantheismus nach seinem metaphysischen Ursprunge aus einseitig quantitativer Auffassung des Verhältnisses des Endlichen zum Unendlichen hervorgehen kann. Hanc doctoris Riess opinionem ideo non veram et accuratam putamus censendam, quia Cusanus noster relationem in-

inquisitionem instituerit uberrimam de ratione, quae esset inter lineam infinitam et triangulum infinitum, circulum infinitum et sphaeram infinitam.

Has tamen inquisitiones, quia latius sunt expositae, quam quae paginis hujus dissertatiunculae nostrae inseri possint, omittimus et hoc solum commemoramus, Cusanum illis mathematicis inquisitionibus studuisse demonstrare, nihil discriminis esse inter lineam infinitam et circulum infinitum, neque inter lineam infinitam et triangulum infinitum, neque inter lineam infinitam et sphaeram infinitam, si infinitas mathematica actu, realiter *esse* posset, quia infinitum uti infinitum, reali videlicet modo existens, unum tantum esse potest. Quibus veritatibus mathematicis ita expositis, nihil videlicet discriminis et inter istas mathematicas ideas inveniri, si in mathematicis infinitum reali modo existens supponatur, hanc Cusanus clarissimam proponit sententiam: infinito uti infinito, id est infinito, quod realitas est et non idea aliqua ficticia, id est infinito ex parte omni infinito sive modum essendi sive virtutes et perfectiones ejus spectaveris . . . nihil uti contrarium opponi posse, quia infinitum, vero realique modo subsistens atque infinita virtutum et operationum indole pollens, ita supra omnia entia sit positum, ut unicum sibi tantum soli statuat essendi et operationis genus et regnum illud sublime, quod nulla mentis humanae acies nullusque vel maxime lu-

---

ter Deum et mundum *non quantitativo modo subsistere intellexit, sed mathematicis veritatibus, uti exemplis et imaginibus ad hanc relationem explicandum utebatur.* Haec nos enim maxime differre putamus idque adjicimus: plus justitiae inveniretur in scriptis — iisque praecipue philosophicis — dijudicandis, si judices scriptorum, quos criticos dicere solemus, accuratius distinguerent inter ea, quae ab auctore proponuntur uti sententiae et opiniones ipsius et ea, quae sunt tantum comparationes et exempla quaedam ad graves difficilesque sententias dilucidandas adhibita!

cidus et strenuus attingere possit intellectus. Quapropter Deo, quippe qui solus, quia omnium principium habetur, infinitas illa est vera et realis, nihil contrarii opponi posse, per se est manifestum. Postquam nunc, inquit (de d. ign. I. 16.) Cusanus abscondita subtiliter scrutans, manifestum est, quomodo infinita linea est omnia illa actu infinito, quae in potentia sunt infinita: habemus translative [1]) in maximo simplici pariformiter, *quomodo ipsum maximum* est actu maxime omnia illa, quae in potentia sunt simplicitatis absolutae. Deus enim, qui hoc ipsum maximum est, non istud quidem est, aliud non est, nam sicut omnia, ita quidem nihil omnium . . . simpliciter absolutus ab omnibus et ultra omnia est . . . maximum, cui non opponitur minimum, necessario omnium adaequatissima mensura.“ „Quia igitur [2]) maximum absolutum est omnia *absolute* (videlicet modo ab omnibus absoluto, modo „supramundano“) actu, quae esse possunt *taliterque absque quacunque oppositione*, ut cum maximo minimum coincidat, tunc super affirmationem pariter est et negationem et omne id, quod concipitur esse, non magis est, quam non est, fugit hoc autem nostrum intellectum, qui nequit contradictoria in suo principio combinare via rationis, quoniam per ea, quae nobis ab ipsa natura manifesta sunt ambulamus, quae, longe ab hac infinita virtute cadens, ipsa contradictoria per infinitum distantia connectere simul nequit. Supra omnem igitur rationis discursum incomprehensibiliter absolu-

---

1) Hic lectorem benevolum admonemus, ut hoc teneat animo diligentissime, Cusanum nostrum, etsi eum de infinitis figuris loquentem audiamus, omnino negare tales figuras esse posse. Haec enim ista in ratione opinio ejus est fundamentalis: „in mathematicalibus non potest ad maximum absolutum actu perveniri. De docta ingr. praesertim cap. 5. l. I. et c. 12 l. I. — Apolg. d. ign. fol. XXXVI.

2) de docta ign. I. 4.

tum maximitatem videmus infinitam esse, cui nihil opponitur, cum quo minimum coincidit". Hactenus Cusanus de absoluto, sive maximitate infinita, cum qua minimum coincidit. Haec paucis exponere conabimur. Et primum quidem hoc respiciamus, Cusanum mathematicis illis observationibus propositis ita inquisitiones de maximo et minimo, in Deo conicidentibus, inchoasse: „postquam nunc manifestum est, quomodo infinita linea est actu omnia infinita, quae in potentia sunt infinite, habemus translative in maximo simplici pariformiter etc. etc. . . ." Est hic videlicet ratio habenda illius „translative" [1]), quod luculentissimum putamus esse documentum, Cusano fuisse hoc maxime cordi, ut, quaecunque antea de mathematicis est praefatus, exempla tantum haberentur, quae dilucidare quidem aliquo modo et quasi viam monstrare possent, quomodo de abscondita Dei natura menti humanae esset cogitandum, quae tamen adaequato, ut dicitur, modo eandem Dei naturam non possent explicare. Quod quia praemisimus, hic nobis non tribuet crimini, qui scripta arguentium Cusanum pantheismi legens perspexit, multos accusatorum hac re commotos fuisse, ut Cardinali nostro pantheismum objicerent, quod non satis accurate distinxissent eas Cusani sententias, quas per modum exemplorum proposuit, ab iis, quae uti propriae et verae de Deo assertiones ab ipso sunt propositae. Jam vero ad explicandam ideam [2]) coincidentiae oppositorum,

1) l. c. c. 16. dicit Cusanus adhibere se „transumptive" mathematicales veritates.

2) Ideam coincidentiae oppositorum in nonnullis systematibus philosophicae sectae, quae dicitur alexandrina, inveniri nemo historiae philosophiae gnarus negabit. Hoc jam ex iis Plotini patet quae attulimus exemplum ex quo perspiceretur, quod esset philosophi illius studium Dei definiendi. Loco hoc Procli aliqua afferemus, ex quibus modo directo patebit, ideam coincidentiae oppositorum philosophis alexandrinis non fuisse ignotam. „Das Urwesen ist die Einheit, die aller Vielheit zu Grunde liegt, das Urgute, das alles Gute bedingt, die erste Ursache alles Seienden. Es ist die geheime, unerfassbare und unaussprechliche Ursache von Allem. . . . Es lässt sich nur analogisch bestimmen: es ist über jede Bejahung und Verneinung erhaben; da es auch über die Einheit erhaben ist, so bezeiehnet es auch der Begriff der Einheit nicht in adaequater Weise; ebensowenig der Begriff des Guten und der Ursache: es ist *αἰτίως αἴτιον*. Confr. Ueberweg: Grundriss d. d. Phil. I. p. 276.

quomodo Deo optime conveniat, progrediamur. Minime nos fugit, esse viros doctissimos, quos haec Cusani coincidentia offendat. Et nos lubenter quidem concedimus, quae contra coincidentiam afferuntur, haud esse spernenda. Quis enim principalis illius logices legis rationem habens: idem videlicet „non posse simul esse et non esse rem eandem", non affirmet, videri Cusanum coincidentiam maximi et minimi in maximo absoluto statuentem, proponere sententiam in se contrariam, sententiam, in qua subjectum excludit praedicatum; nam eadem res, quae hoc loco est maximum absolutum, non videtur posse simul esse maxima et minima. Nos tamen, etsi ita se haec habere volunt aliqui putare, affirmare audemus, Cusani coincidentiam, „contradictionem in adjecto", non esse inane aliquod verbum et omnino non aptum neque idoneum, quo aliquid veritatis possit exprimi; quin etiam ostendere studebimus, nihil esse causae, cur coincidentiam oppositorum flocci faciamus et demonstrare conabimur, ideam hanc, si recte eam intellectam atque expositam conspiciemus, maxime esse dignam, quae in theologia magno cum studio consideretur. Sed ne videamur solis affirmationibus aliorum expositiones subvertere et refutare, nihil proponentes argumenti, quo, quae nobis videntur, vera esse manifestentur, haec ad Cusani coincidentiae naturam illustrandam ejusque gravitatem probandam afferimus. Cusanus quum ex eo, quod absolute maximum non potest

esse minus maximo, concludit, idem absolute maximum esse simul et minimum, hoc non ita vult intelligi, quasi in Deo, tanquam maxima aliqua quantitate, coinciderent aliquo modo quantitates aliquae magnitudine diversae, aut quasi proprietates contrariae in Deo uti communi aliquo atque indifferenti puncto conjungerentur, qui enim ita de Deo opinaretur, „non[1]) esset doctus, quomodo de Altissimo rectius et verius esset nobis in aenigmate laborantibus sentiendum „et" nesciret[2]), Deum non esse contradictionis radicem." Quomodo coincidentia oppositorum, Deo uti nomen tributa, esset intelligenda, Cusanus hoc quodammodo determinavit, quod Deum dixit esse infinitum, maximitatem absolutam. Hae enim duae ideae — absoluta videlicet maximitas et coincidentia oppositorum, maxime propinqua necessitudine inter se cohaererent ideoque is tantum coincidentiam Cusani nostri recte poterit intelligere, qui punctum illud commune, quod est utrique ideae, perspexerit. Quod punctum id nos esse putamus, quod utraque idea id in systemate philosophi nostri spectat, ut Dei natura supra omnia, quae habent excedens et excessum, ponatur. Hoc enim Cusano nostro videtur esse negotium gravissimum, ut et sibi ipsi et omni de Deo cogitare studenti persuadeat, Dei ideam ejusmodi esse, ut „omne[3]) id quod sciatur, non sit Deus et omne id, quod concipiatur, non sit ei simile, sed quia ipse exsuperat", hoc est, ejusmodi esse Dei ideam, quam homo neque adaequato modo cogitare neque eloqui possit. Etsi enim secundum philosophum nostrum sensu omnino careret, si quis diceret, Deum non esse ens dicendum, tamen id etiam arrogantiae esset documentum atque imperitiae, si quis, quid Deus esset, evidenti modo

1) De docta ign. l. I. c. 12.
2) De ignoto fol. II. operum t. II.
3) De ignoto l. c.

conaretur exponere. Quod si ita se habet, si videlicet intima est necessitudo inter ideam maximitatis absolutae sive infinitatis et contradictionis oppositorum in systemate philosophi nostri, jam nulla nobis erit difficultas perspiciendi, quid idea ista contradictionis oppositorum significet quidque habeat dignitatis ac valoris ad Dei naturam denotandam. Si commune illud utriusque ideae, quod supra diximus, inspexerimus punctum, quid aliud videbimus Cusanum nostrum contradictione oppositorum, quam Deo uti nomen tribuit, significare voluisse, nisi id, quod Deus elatus et exaltatus sit naturae suae genere atque indole supra omne ens finitum? Id autem revera philosophum nostrum, quod dicimus, idea contradictionis oppositorum assequi voluisse, hoc ex iis locis lucidissime manifestum est, quibus altera idea cum altera quodammodo comparatur. „Absolutum[1]), inquit, — ut pulcherrimum locum hunc afferamus, — quod et Deum dicimus, non cadit in numero cum omni alio, ut Deus et coelum plura sint, aut duo, aut alia, aut diversa, sicut nec coelum est idem absolutum ut coelum, quod est aliud a terra". Quibus verbis quis non videt esse expositum, absoluti naturam, quod Deum dicimus, in eo constare, quod non possit opponi ulli rei finitae — quid enim aliud verba illa: absolutum non cadit in numero cum omni alio, volunt significare —? Si res, quae sunt, vellet quis numerare, non posset hoc negotium ita perficere, ut Deum et res finitas in eodem poneret ordine et ut diceret: Deum et coelum esse duo, plura, diversa.

Quod si ita tantum intelligi potest, jam patere sentimus, Cusanum revera hoc[2]) consilio ideam contradictionis

1) De genesi — praestantissima etiam hac de re in opere „de ignoto" inveneris, quod fere totum in hac quaestione exponenda versatur.

2) Confr. Apol. doctae ign. fol. XXXVII. et XXXVIII.; et hoc Augustini revocemus in mentem: „si incipis numerare, incipis errare!"

in systema suum induxisse, ut Dei naturam supra naturam omnium rerum finitarum esse positam ostenderet. Sed jam ex his facillime quisque et hoc conjicere ac perspicere potest, quam idonea et quam digna sit idea ista, quae ad Dei absconditam atque occultam naturam vel aliquo modo denudandam et describendam adhibeatur. Et quidem hanc, de qua dicimus, ideae contradictionis dignitatem et gravitatem in eo positam esse opinamur, quod idea hac luculentissime nobis persuadetur, Deum esse ibi — si videlicet, quum de Deo est sermo, hac voce „ibi" liceat nobis uti — quo rationis humanae indoles, quippe quae discursivo, ut dicitur, modo, sive discernens et distinguens singulas res singularumque rerum „constitutiva", veritatem assequitur, non potest attingere, quia Deus identitas est absoluta. „Non enim, inquit[1]) Cusanus noster, est Deus parvus, quia parvum potest esse majus; neque magnus, quia magnum potest esse minus, sed ante omnia, quae aliter fieri possunt — et ante omnia quae differunt, est enim ante differentiam omnem . . ante differentiam aliquid et nihil, ante differentiam differentiae et indifferentiae . . . Absoluta[2]) maximitas non est magis maxima, quam minima, quoniam in ipsa maxima et minima sunt coincidenter." Quem haec, fere inter paradoxa reponenda, sententia sensum haberet non offendentem nostram mentem, nisi eam ita intelligeremus, ut maximitatem absolutam talem habere modum essendi, eaque pollere essentia diceremus, qualis nulli finitarum rerum conveniat, et, quae, quid sit, vel accerrimum intellectum humanum fugiat. Jam de coincidentia oppositorum finem facturi facere nos non posse profitemur, quin hoc etiam commemoremus, ideam istam, ita intellectam, quemadmodum nos eam intelligendam putamus, propterea etiam dignam esse

1) De venatione sapientiae c. 13.
2) De docta ignor. l. I. c. 4. sub finem.

videri, quae plurimi ducatur, quod rationi humanae, quam in veritate inquirenda et cognoscenda finibus maxime angustis scimus esse circumscriptam, luculenter, ut putamus, hanc ostendit gravissimam veritatem: „Deum et esse quidem et esse principium omnium, quaecunque sunt, esse, ut ita dicamus, fontem omnis esse, et tamen ejus esse alius omnino esse generis, ac sit esse omnium finitorum." Innixi enim huic ideae, ex qua tam facile conspicere potuimus, Deum ens supramundanum esse, et hoc facile possumus intelligere, quî fiat, ut Deus summum ens sit omnium et tamen non sit, ut non latine loquar, ens universalissimum illud pantheistarum. Quam universalissimi vocem omnis homo sane audit, sed quis aliam hanc vocem, nisi omnino inanem esse dicat, quae humanae menti, non sonitum verborum ac vocum, sed lumen veritatis quaerenti, nihil affert ac praesentat, nisi phantasma fortasse aliquod obscurum, quod, utrum nihil, an aliquid sit, ipsa mens humana haesitat, quid sibi respondeat. Sed jam[1]) de aliis nominibus, quibus Cusanus noster ad Dei naturam describendam usus est, sermonem facere incipiamus.

1) Et s. Augustinum putamus ex eo, quod Deus summa est essentia, conjecisse, Deum esse quodammodo contrariorum conincidentiam, quia Deo dixit nullam rem esse contrariam. (De civitate Dei l. XII. c. 2.) „per angelum, inquit, Deus dixit, quando Moysen mittebat ad filios Israel: Ego sum, qui sum. Cum enim Deus summa essentia sit, hoc est, summe sit et ideo immutabilis sit, rebus, quas ex nihilo creavit, esse dedit, sed non summe esse sicut ipse est, et aliis dedit esse amplius, aliis minus, atque ita naturas essentiarum gradibus ordinavit . . . . ei naturae, quae summe est, qua faciente sunt, quaecunque sunt, contraria natura non est, nisi quae non est. Ei quippe quod est, non esse contrarium est. Et propterea Deo, id est, summae essentiae et auctori omnium qualiumcunque essentiarum essentia nulla contraria est." Non ad amussim quidem haec Augustini cum coincidentia Cusani concinere per se patet.

§. 14. Supremum illud omnium entium principium docet Cusanus esse unum. Et ex unitatis idea philosophus noster maxime scite eruit et construit Deo dignum nomen, ex quo, uti ex supra allatis et expositis Dei nominibus, quomodo de Deo apte ac digne sit opinandum, manifeste elucebit. Sed jam ipsum Cusanum de unitatis idea, quae Deo tribuitur, audiamus, quid sentiat: „quoniam[1]) unitate, inquit, minus esse nequit, erit unitas minimum simpliciter, quod cum maximo coincidit. Non potest autem unitas numerus esse, quoniam numerus excedens admittens, nequaquam simpliciter minimum nec maximum esse potest, sed est principium omnis numeri, quia minimum est finis omnis numeri, quia maximum." Haec ita Cusanus de mathematica unitate. Mathematicam unitatem dicit Cusanus principium et finem omnis numeri, negat tamen ipsam esse numerum. Quibus de unitate mathematica ita propositis, hunc in modum de unitate sensu absoluto et metaphysico sumpta disserit[2]). „Est unitas absoluta, cui nihil opponitur, ipsa absoluta maximitas, quae est Deus benedictus. Haec unitas, quum maxima sit, non est multiplicabilis, quoniam est omne id, quod esse potest. Non potest igitur ipsa numerus fieri. Vide per numerum ad hoc nos adductos, ut intelligamus innominabili Deo unitatem absolutam propius convenire, quamquam Deus ita est unus, ut sit actu omne id, quod possibile est esse; quapropter non recipit ipsa unitas magis nec minus, nec est multiplicabilis. Deitas itaque est unitas infinita. Qui ergo dixit: audi Israel, Deus tuus unus et unus est magister et pater vester in coelis, nihil verius dicere potuit. Nam uti numerus, qui ens rationis est fabricatum per nostram comparativam discretionem, praesupponit necessario unitatem pro tali numeri principio,

1) De docta ignrt. l. I. c. 5.
2) l. c.

ut sine ea impossibile sit numerum esse, ita rerum pluralitates, ab hac infinita unitate descendentes, ad ipsam sic se habent, ut sine ipsa esse nequeant: quomodo enim essent sine esse? . . ." Hac descriptione unitatis absolutae sive infinitae, quae est Deitas, hoc videmus intendisse Cusanum assequi, ut Deum natura sua, modo essendi sibi soli proprio, maxime differre a rebus finitis pateret. Etenim quid sibi velle videtur haec philosophi nostri argumentatio: „non potest autem unitas numerus esse . . . ., sed est principium omnis numeri, quia minimum, et finis omnis numeri, quia maximum" — et quid ista hujus argumentationis conclusio: „est igitur unitas absoluta, cui nihil opponitur, ipsa absoluta maximitas, quae est Deus benedictus"? Sicut enim unitas est numerorum principium sive initium, quia ab uno incipit numerorum ordo, et sicut unitas est omnis numeri finis, quia quivis vel maximus numerus unitas est quaedam, et totum aliquod, quod est unum, repraesentat, eoque modo unitatis imaginem quasi sibi insculptam habet; ita et unitas absoluta omnia, quaecunque sunt, potentia sua efficit et ipsa est initium et finis omnium finitorum, quippe quae ipsa est actu omne id, quod possibile est esse, sive plenitudo est omnis potentiae adeo, ut sine ipsa nihil esse possit, „quomodo enim res aliqua sine esse posset esse?" Quibus quum philosophus noster exposuisset, omnia necessario ab unitate pendere, eoque modo quum necessitudinem ac relationem, quae est inter absolutum et finitum, quasi praetereundo denotasset, protulit sententiam illam gravissimam: unitati absolutae, quae est Deus benedictus, nihil opponi. Quae si ita sunt, quis praecedentem illam argumentationem, cum hac ultima sententia comparans, non perspiciet, Cusani nostri et in unitatis idea Deo tribuenda, hoc plurimum interfuisse, ut Deus ita unitas esse intelligeretur, ut natura sua supra omnis rei finitae naturam poneretur.

§. 15. Cusanus noster Deum dicit quoque ens esse necessarium. „Ostensum est, inquit, in praecedentibus, omnia praeter unum maximum simpliciter, ejus respectu finita et terminata esse; finitum vero et terminatum habet, a quo incipit et ad quod terminatur, et quia non potest dici, quod illud sit majus dato finito et finitum ita semper in infinitum progrediendo (quoniam in excedentibus et excessis progressio in infinitum actu fieri non potest, alioqui maximum esset de natura finitorum) igitur necessario est maximum actu, omnium finitorum principium et finis. Praeterea nihil esse posset, si maximum simpliciter non esset, nam, quum omne non maximum sit finitum, est et principiatum, erit autem necessarium, quod ab alio (videlicet: est principiatum); alioqui, si a se ipso, fuisset, quando non fuisset; nec in principiis et causis est possibile ire in infinitum. Erit igitur maximum simpliciter, sine quo nihil esse potest. Praeterea contrahamus maximum ad esse et dicamus: maximo esse nihil opponitur". Quis haec ultima verba legens non satis habeat perspectum, Cardinalem nostrum, quum demonstrat, Deum per se necessario existere, id est, Deum esse necessario primam illam realitatem sive actum illum primum, sine quo nihil reale cogitari possit, hoc non omittere in mentem legenti revocare eumque illius gravissimae veritatis commonere, Deum, et si ut prima illa necessaria realitas cogitatur, cogitandum esse uti maximum illud esse, cui nihil opponatur — cogitandum videlicet esse Deum realitatem ejusmodi, cujus natura omnis finitae realitatis naturam superet ideoque cum nullius finitae realitatis natura comparari possit vel, quod idem est, cui nihil opponitur: „contrahamus maximum ad esse et dicamus: maximo esse nihil opponitur". Hoc igitur Cusani nostri in disputationibus ejus de Dei natura quasi „ceterum censeo" esse videtur, quod Deum natura dicit ab omnium finitorum

1) De docta ign. l. I. c. 6.

naturis esse diversum et ita quidem diversum, ut nulla inter divinam naturam et mundanam sive finitam proponi possit comparatio: „infinito uti infinito — maximitati absolutae nihil opponitur — Deus maximum est absolutum quocum minimum coincidit". Sed jam ad miram illam vocem „Possest", qua Cusanus ad Dei naturam explicandam usus est, dilucidandam properemus.

§. 16. Vocis hujus „possest", etsi, quid ipsa exprimat, passim in Cusani scriptis, ubi de Deo est sermo, invenitur, uberius tamen significatio ac sensus in illo opere exponitur, quod „dialogus de Possest" inscriptum est. Est vero opus illud in forma trialogi — ideoque etiam in nonnullis Cusani operum editionibus „trialogus de Possest [1])" inscribitur — inter Cusam, Johannem et Bernardum compositum et, quamvis non multis constet paginis, plurimis praestantissimis pollet nitetque sententiis. Omnis vero hujus libelli materia in eo versatur, quod in ipsius exordio Bernardus his exprimit verbis: „Incidi in studium epistolae apostoli Pauli ad Romanos et legi, quomodo Deus manifestat hominibus ea, quae eis de ipso nota sunt. Ait autem haec fieri hoc modo: invisibilia enim ipsius a creatura mundi per ea, quae facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque virtus ejus et divinitas . . . istius modi illucidationem a te exposcimus audire". Quomodo hoc sit possibile, Cusanus interlocutoribus demonstrat. Quod vero ut posset clarius ostendere atque exponere, antea constituit declarare atque in lucem ponere, quid esset Deus, quaeque inter Deum et creaturam intercederet necessitudo ac ratio. Quam propositionem hoc modo philosophus noster perfecit, ut explanata notione et natura actualitatis et possibilitatis (Wirklichkeit und Möglichkeit), Deum diceret esse et actualitatem absolutam et potentiam sive possibilitatem absolutam. Quare Deus [2]) est

1) De Possest fol. CLXXIV op. t. I. — 2) l. c.

secundum Cardinalem nostrum actu omne possibile esse, Deus est omnia complicite et omnia, quae quocunque sunt modo, aut quae esse possunt, in Deo uti principio complicantur et quaecunque creata sunt aut creabuntur, ab ipso, in quo complicite erant, explicantur, ut creentur. Ex quibus ita expositis quum variae sententiae et opiniones secutae et nonnullae ortae essent difficultates, Cusanus paucis verbis ea omnia studuit ita exponere et dilucidare, ne ullum audientium offenderent. Quo facto ita Cusanum Bernardus alloquitur: „cave [1]), ne tibi contradicas. Ajebas enim parum ante, Deum non esse solem, modo asseris, ipsum esse omnia". Ad quae haec ei Cusanus: „imo [2]) dicebam ipsum solem, sed non modo essendi, quo hic sol est, qui non est, quod esse potest; qui enim est id, quod esse potest, utique solare esse ei non deficit, sed habet ipsum meliori essendi modo, quia perfectissimo divino. Sicut essentia manus verius habet esse in anima, quam in manu, quum in anima sit vita, et manus mortua non sit manus. Ita de toto corpore et singulis membris, ita se habet universum ad Deum, excepto quod Deus non est anima mundi [3]), sicut

1) l. c. — 2) l. c.

3) Clarissimus Denzinger, opere citato parte I p. 358., affirmat, Cusanum habuisse Deum animam mundi. „Gott, inquit, ist die anima mundi eo modo, quo anima quasi quid absolutum in quo omnes rerum formae actu sunt, consideratur, aber absque immersione". Quae verba latina (docta ign. l. II. c. 9. fol. XX) argumentum habet vir doctissimus doctrinae philosophi nostri de Deo, quasi Deus esset secundum philosophum nostrum anima mundi. Etsi jam hoc nihili duceremus, quod Cusanus aperte et distincto loco nostro, quem supra legimus (de Possest videlicet) negat Deum esse animam mundi, tunc et ex verbis quae doctissimus Denzinger attulit minime etiam sequitur, Cusanum Deum animam mundi dixisse. Loco a doctissimo Denzinger citato disserit philosophus noster de anima sive de forma universorum sive, ut nos diceremus, de causis et rationibus, quibus singula subsistunt. Cardinalis noster hoc loco doctrinas Peripateticorum et Platonicorum dijudicat, alterorum videlicet theoriam de

anima hominis est, nec forma alicujus, sed omnibus". Ex quibus omnibus a philosopho nostro de Deo prolatis jam conspicere possumus, studuisse Cusanum descriptionem illam Dei, secundum quam Deus cogitandus est absoluta actualitas et absoluta potentia, clariorem reddere. Quibus finitis et nonnullis quaestionibus ab interlocutoribus ei propositis, ita Cusanus ideam istam novam, quam ad Dei naturam dilucidandam erat adhibiturus, pergit exponere:. „Esto, quod aliqua dictio significet simplicissimo significato quantum hoc complexum „posse est", scilicet ipsum posse sit. Et quia, quod est actu, est, ideo „posse esse" est tantum quantum „posse esse" actu. Puta vocetur „Possest", omnia

formis alterorum de ideis. Utrorumque doctrina rejicitur. „Acute satis inquit, atque rationabiliter locuti sunt Platonici, forte irrationabiliter per Aristotelem reprehensi, qui potius in cortice verborum, quam medullari intelligentia eos redarguere nisus est . . . Nihil est ergo illud, quod de imginationibus formarum Platonici dixerunt, quoniam non est nisi una infinita forma formarum, cujus omnes formae sunt imagines". Quibus ita de Platonicorum et Peripateticorum doctrina dictis, ita Cusanus verbis distinctis animam mundi describit: anima mundi est consideranda ut quaedam forma universalis in se complicans omnes formas, non tamen existens actu, nisi contracte in rebus, quae in qualibet re est forma contracta rei. Post haec Cusanus dicit Deum omnia efficere in mundo in verbo uno; sed solum Deum esse absolutum, et non esse medium aliquod inter absolutum et contractum, solum Deum esse animam mundi, eo modo, quo anima quasi quid absolutum, in quo omnes rerum formae actu sunt, consideretur. His ita expositis jam possumus concludere, Cusanum appellare hoc loco Deum mundi animam non proprio, sed metaphorico sensu. Nobis quidem intelligere videtur Cusanus animam mundi ita, ut eam dicat legem illam, quam dicimus universalem naturalem. Dicit enim Cardinalis noster animam mundi „actu non existere", uti supra legimus, et animam mundi docet esse „omnes rerum formas, quae sunt in absoluto". Quid est, quaeso, si ita Cusani locutiones componimus, discriminis inter legem naturalem illam generalem et id, quod a philosopho nostro anima mundi est appellatum. Verbis quidem variis una nobis videtur res esse donotata. —

utique in illo complicantur et est Dei satis propinquum nomen secundum humanum de eo conceptum. Est enim omnium et singulorum nominum atque nullius pariter nomen. Ideo dum Deus sui vellet notitiam primo revelare, dicebat: Ego sum Deus omnipotens, id est sum actus omnis potentiae, et alibi: ego sum, qui sum". Hactenus Cusanus, vocabulum Possest atque ideam, quam vocabulo isto voluit exprimere, dilucidans. Et ex hac philosophi nostri expositione facile consequitur, et in hoc negotio id eum spectasse, ut Dei naturam essentialiter a finiti natura diversam esse ostenderet. Quis enim, qui diligenter, quid significet Possest illud, secum cogitaverit, non videbit magnam abyssum, quae inter Dei naturam et creaturae ponitur et quasi tenditur, si „Possest" ad Dei naturam denotandam adhibemus. Solius Dei natura est summa et complexus omnis posse, idest omnis possibilitatis, est totum posse sive tota possibilitas et quidem realiter. Quod si alio modo volumus proferre nihil aliud significat, nisi id, quod Deus est realitas perfectissima, est omnis perfectionis plenitudo omnis, Deo neque aliquid deest, nec omnino deesse potest, quia quodcunque modo aliquo esse potest, in Deo et suae possibilitatis et existentiae habet causam. Quae si Deo ita tribuuntur, jam per se patet, quantum omnis creatura a Deo distet. Omnis enim creatura et creaturae omnes sive finitum aliqua tantum ex parte, si Deus solus omnis est possibilitas actu, possibilitatem exprimit, et repraesentat possibilitatem cum addito aliquo negante, quo fit, ut creaturae posse finibus sit circumscriptum, qui quidem fines alteri creaturae latius, alteri angustius patent. Ast objicere nobis forsitan aliquis id velit: si Deus est omne posse realiter, res vero mundanae illius posse sunt tantum, quum illud ex parte exprimant, participes, tunc quam paullum abest, quin Deus gradu et non natura a rebus finitis putetur differre. Sed nobis non videtur haec sententia ex Cusani de „Possest"

expositione erui posse. Cusanus enim aperte sine multis verbis et ambagibus dicit in iis, quae praemisimus, Deum habere omne esse meliori modo, quia perfectissimo, divino; Deum non esse animam mundi, ex quibus apertissime quisque videt, Dei esse non gradu tantum, sed natura et essentia ab unius cujusque entitatis finitae esse differre. Itaque hoc unum restat ut dicamus, Cusanum hoc vocabulo „Possest [1]", quod eos quidem, quorum non tantum interest, ut magnas ideas et veritates sublimes, quantum, ut dulciter ac suaviter sonantia verba in libris inveniant, scimus non potuisse non offendere — hoc igitur vocabulo Deo tribuendo tanquam nomen nihil aliud Cusanum de Deo dixisse, nisi, esse eum maximitatem absolutam, esse eum infinitum illud „reale" atque oppositorum coincidentiam, quod quidem viro tanti ingenii maxime consentaneum esse videtur, maximeque eum decere, quod de re eadem eodem semper sentiat modo. Sane Cusanus ad Dei naturam describendam varias atque varias proponit ideas, varias quidem ad hunc finem, quantum hoc naturae humanae licet, attingendum ingreditur vias, sed variae illae ideae et variae istae viae non tales apparent, quae sibi contradicant, et quae invicem se excludant, sed tales, quae, ut ita dicam, una voce nos doceant: Dei natura essentialiter et in modo essendi et in modo operationis a rebus finitis differat necesse esse. Sed

---

1) Eadem idea, quam Cusanus in opere de Possest explicavit, passim in scriptis ejus commemoratur. Apponimus nonnullos locos, in quibus haec idea a philosopho nostro adhibetur. Apolg. doct. ign. (opus haud multis paginis constans, contra Venchi, doctoris Heidelbergensis opus de ignota litteratura conscriptum). „Cum Deus sit purissimus actus tunc est absolute omne absolute possibile." De dato patris luminum c. 3. fol. CXCV.: „Absolute enim Deus noster est infinita virtus penitus in actu.

De quaerendo Deum CXCVII. O quantus est Deus noster, qui est actus omnis potentiae . . . . in Deo potentia est absoluta, quae est actus infinitus.

et ipsius Cusani verba fiant nobis adhuc plenior ipsius ideae Possest interpretatio. „Necesse [1]) est, inquit, ut una sit forma penitus abstracta, per se subsistens, sine cujuscunque indigentia, quae dat materiae possibilitatem essendi et formae ei advenienti actualitatem et utriusque connexioni rei existentiam . . . . Oportet, quod forma, quae penitus nullo alio indiget, quoniam infinitae perfectionis est, in se omnium formarum formabilium complicet perfectiones, quoniam est actu ipse essendi thesaurus, a quo emanent [2]) omnia, quae sunt, quemamdodum ipsa ab aeterno thesauro sapientiae concepta et reposita sunt . . . Potest omnis forma esse perfectior, quae non est absoluta entitas". Similia in alio [3])

1) De Possest fol. CLXXII.

2) Ne quis hoc emanandi verbo offendatur, hoc ut respiciatur commonemus, quod Cusanus vulgarem illum pantheisticum sensum verbi emanandi essentialiter inmutat et in certos ponit fines, quum haec apponit: „quemadmodum ipsa (scl. omnia) ab aeterno thesauro s a p i e n t i a e c o n c e p t a e t r e p o s i t a sunt." Haec enim philosophus noster quum apposuisset, apertissimum praebuit documentum, ipsum non eo sensu usum esse verbo illo emanandi, quo utuntur illo pantheistae. Si enim emanatio omnium, quae sunt, ex infinito thesauro sapientiae pendebant, et adeo quidem pendebant, ut sapientia illa secundum modum aliquem (quemadmodum) omnia conceperit et reposuerit sive dispossuerit, jam certissime nobis quidem constat, causam emanationis non esse hic spontaneitatem aliquam omnium, quae sunt, sed Dei, thesauri sapientiae infiniti, sapientem actionem. Verbum igitur emanandi non pantheismi speciem citato loco habet, sed relationem tantum infiniti et finiti eo sensu significat, quod finitum ab infinito dependeat.

3) Confr. Denzinger l. c. Attulimus haec ex Denzingeri opere clarissimo, ut fiat manifestum, quam non satis accurate vir hic doctissimus philosophi nostri verba sit interpretatus. Nos quomodo illa verba, quae afferimus, intelligamus et interpretemur ex sequentibus patebit. Clarissimus vero Denzinger post illa verba: „e t s i c videre Deum, est videre omnia Deum et Deum omnia" haec posuit: eine Deduction, welche auch Spinoza sich gefallen liesse." Equidem puto, non semper idem haberi posse, etsi idem videntur duo facere

legimus loco: „et quum omne esse ab ipsa (forma formarum) sit et extra eam esse nequeat, o m n e esse in ipsa

vel dicere. Quae quam sint vera, ex eo patebit, si Cusani et Baruchi Spinozae de Deo, eloquia comparentur. Etenim etsi in exordio Ethices similia Spinoza de Deo proferre videtur atque Cusanus, non similem, nedum eandem, utriusque de Deo fuisse persuasionem mox ex progressu explicationum primi libri satis apparet. Inter omnes historiae philosophiae non ignaros constat, Baruchum Spinozam, Deum solum docuisse substantiam esse, eoque modo omnia, quae extra Deum sunt subsistentia propria privasse. Non ita docet Cusanus. Si enim Cusanus dicit: „sic, (videlicet modo ab ipso exposito) Deum videre est videre Deum omnia et omnia Deum, non potest jam propterea dici, solum Deum appellare eum et habere substantiam. Qui enim Cusani opera accurate legit, hunc non fugit, Cusanum duplici modo considerare mundum, prout est videlicet nunc in se et prout erat in sua causa. Hic modus alter disserendi de mundo philosophis mysticis praesertim proprius est. Quantum hic modus philosophandi conferat ad veritatem assequendam, non est hic nostrum dijudicare. Cusanum vero persaepe illo modo de mundo loqui ex sequentibus Cusani v. gr., quae ex ejusdem doctissimi Denzingeri opere apponimus, patet: (p. 360 l. c.) „Per hoc, quod omnia sunt in Deo ut causata in causa, n o n s e q u i t u r c a u s a t u m e s s e c a u s a m, l i c e t i n c a u s a n o n s i t n i s i c a u s a, sicut de unitate et numero saepe audisti; nam numerus non est unitas, quamvis omnis numerus in unitate sit complicatus, sicut causatum in causa: sed id, quod intelligimus numerum, est explicatio virtutis unitatis, sic numerus in unitate non est nisi unitas. . . . Deus est omne ens non entiter, est complicative omnia et nihil omnium explicative." Omnia, quaecunque fiant, priusquam facta sint, in causa, a qua prodierint, fuisse nemo negat. Et hoc etiam nulla putamus indigere demonstratione, quodcunque in sua causa ita esse, quam naturae illius causae id convenit. Quae si vera habentur, nonne et hoc quoque verum est habendum, mundum in Deo fuisse, priusquam factus sit, et quidem fuisse modo naturae Dei convenienti, modo videlicet divino et non entiter, id est non modo, quo nunc sunt entia mundana. Sunt etiam verba illa „complicative et explicative", quae et doctissimum Denzingerum et doctorem Stoeckl offenderunt, explicanda, sed ea hoc loco omittimus, quia in sequenti dissertationis nostrae parte uberius hae duae voces exponentur.

absoluta forma non potest aliud esse, quam ipsa, quum ipsa sit infinita essendi forma simplicissima et perfectissima. Hinc patet, Deum nequaquam concipi debere, habere esse modo, quo singulare diversum aliquod et distinctum esse concipitur, neque eo modo, quo universale esse concipitur, aut genus, aut species, sed absolutissima forma est in coincidentia singularis et universalis ultra conceptum omnem omnium generalium, aut specialium aut singularium aut quarumcunque formarum, quae concipi aut dici possunt . . Et sic videre Deum est omnia videre Deum et Deum omnia". Ex quibus omnibus satis jam sibi quisque veritatis diligens, veritatemque pluris habens, quam aliquas theorias atque systemata, quae ei sola forsitan veritatem videbantur continere, potest eruere id atque perspicere, Cusanum nostrum „Possest" Deum appellantem contulisse aliquid, si non ad Dei naturam comprehendendam, tamen procul dubio ad modum de ea recte cogitandi. Quod sine dubio is non parvi habebit, qui cognovit, vel maxime celebratos laudatosque philosophos et vel eos, qui inter primos habentur, de Deo non semper Deo convenienter sensisse. De Deo enim cogitantes, quum Deus ens sit absolute simplex, id ante omnia studere idque spectare debent, ut de Deo per simplicissimas et per maxime absolutas ab omni, in quantum nimirum id humanae menti liceat assequi, phantasmate ideas cogitent et meditentur. Esse vero et posse, actualitas et possibilitas, realitas et potentia (Wirklichkeit und Möglichkeit, das wirkliche und das mögliche Sein) sunt summae et simplicissimae mentis hnmanae, quas cogitando assequitur, categoriae, quae et simul primae sunt et supremae omnis existentiae rationes. Duas vero has categorias in mundo non inveniri modo perfecto videmus. Neminem enim fugit, quemadmodum omne hominis scire nunquam omnibus a partibus sit absolutum, eodem modo, quodcunque in mundo sit, non tam esse perfectum, ut non

possit esse perfectius, neque ullum inveniri in mundo ens, quod omni ex parte exprimat categorias esse et posse. Quae si ita se habent, quis praestantius, altius, excelsius de Deo cogitat, quam is, qui eum cogitat plenitudinem esse omnis possibilitatis et actualitatis (in Gott sei die Fülle der ganzen Wirklichkeit und Möglichkeit schlechthin)? Sed his jam finem faciamus expositioni de nominibus sive ideis, quibus Cusanus ad Dei naturam describendam eamque secundum humanae mentis vires dilucidandam usus est. His enim expositis jam satis putamus patere manifestumque esse, Cusanum nostrum ita studuisse naturam Dei exponere eamque describere, ut Deus ab eo descriptus atque propositus nullo modo idem putari possit, atque Deus pantheistarum. Etsi enim pantheistae Deum dicunt esse absolutum, primamque eum omnium causam habent, tamen haec ita ei tribuuntur, ut ipse et Deus sit et mundus, et sit solus; et ut mundus sensilis, quamvis esse aliquid videatur, nihil sit revera, nisi id, quod dicimus illusionem. Non ita Cusanus Deum dicit absolutum et causam. Totum Cusani studium omnemque ejus nisum in eo fuisse vidimus, ut demonstraret, — Deum ita putandum esse absolutum, ut modus essendi ejus omnino alius sit generis, ac modus essendi rerum finitarum. Primo ad hunc finem philosophum nostrum vidimus tendere eoque pervenisse, quum Deum esse infinitum absolutum et maximitatem absolutam studuit in lucem ponere. Eundem finem ut assequeretur eum operam dedisse perspeximus, quum consideraremus, cur Deum coincidentiam oppositorum esse apellandum censuisset. Nihil aliud spectasse eum potuimus invenire audientes eum proferentem argumenta, Deum esse unitatem absolutam et ens necessario existens. Idem eum nobis proponere studuisse etiam mente tenemus, quum Deum „Possest" esse dicendum ostenderet. — His itaque jam ostendimus, Cusanum non esse in numero pantheista-

rum ponendum, si id spectaverimus, quomodo Dei naturam in se ipsa consideratam exposuisset. His itaque, quae huc usque conscripsimus, de Deo locuti sumus quasi in solo esse spectato. Jam sequitur, ut Dei agere consideremus atque ostendamus, Cusanum nostrum et in hac ratione ita de Deo locutum esse, ut nullo modo pantheistis possit adnumerari. Quum vero et pantheistae Deum agere non negent, proponendum est nobis in sequentibus, Deum Cusani agere libere et sapienter, id est: Deum Cusani esse Deum „personalem.“ Quod si in scriptis Cusani invenire nobis contigerit, jam et hoc per se patebit, Deum secundum philosophum nostrum, etsi ab ipso, summo esse, omne, quodcunque est, suum esse acceperit, tamen essentialiter a creatura differre, quemadmodum jam cognovimus, Deum secundum philosophum eundem, in solo esse spectatum, essentialiter alio esse modo, quam sunt res finitae. Sed hoc etiam patet, nobis nunc de Deo uti est in suo agere locuturis, esse loquendum de Deo, uti respectu mundi sit. Et haec est causa, cur hanc sequentem dissertationis partem ita inscribamus:

IV.

Deus secundum Cusanum respectu mundi sive Deus „in suo agere“ consideratus.

§. 17. Quum jam in supra expositis aperte et clare vidimus, quam paullum et fere nihil sit, quod humanae menti de Deo novisse licet, tum in iis, quae nunc nobis tractanda offeruntur, non minus magnas inveniemus difficultates, quae manifestissimo erunt nobis testimonio, quam ardua, alta, non attingenda sint omnia, quae Deum spectant. Cogitantes de Deo, uti est in suo solo esse, extollendo et exaltando modum, quo est Deus, supra modum, quo res

sunt finitae, possunt quidem assequi quietem aliquam et finem quendam in suis de Deo cogitationibus et meditationibus. Jam vero iisdem de actibus Dei, entis aeterni, infiniti, inmutabilis, locuturis, quam magnum imminet periculum, ne Deum phantasma aliquod faciant, ne incidant in anthropomorphismum vel anthropopathismum, quod Dei infinita et simplicissima natura non est dignum. Qui de Deo, uti est in solo esse, didicit digne et apte cogitare, hic, quum de Deo, uti est in suo agere sive uti est respectu mundi, nitetur meditari, perspiciet, hominis de Deo enunciata nihil esse, nisi maxime imperfectas analogias, quae finitam quidem, non tamen infinitam possunt assequi naturam . . . et hic verissima esse illa verba sacri eloquii manifestissime cognoscet, „Deum inhabitare lumen inaccessibile“ . . . et illa: „Cherubim atque Seraphim faciem Dei tegere atque velare“. Cujus rei gravitas et difficultas St. Augustinum illum, inter viros speculationibus philosophicis vacantes omnium, puto, consensu primum fere, commoverunt, ut haec pulcherrima et altissima scripserit: „Quis [1]) hanc valeat altitudinem investigabilem investigare et inscrutabilem perscrutari, secundum quam Deus hominem temporalem . . . non mutabili voluntate in tempore creavit? Valde quippe altum est, et semper Deum fuisse et hominem, quem unquam fecerat, et aliquo tempore primum facere voluisse nec consilium voluntatemque mutasse . . . Vereor [2]) ne facilius judicer affirmare, quod nescio, quam docere, quod scio“. Quanti vir hic habendus, qui tam sincero corde, quae intelligere non potuit profitetur, et tamen non negat Deum esse, cujus naturam non potuit comprehendere, sed dicit [3]): „redeo igitur ad id, quod creator no-

1) De civ. Dei XII. 14; Edit. Lipsiae: typis C. Tauchnitzii.
2) l. c. c. 15.
3) l. c. c. 15.

ster scire nos voluit: illa vero, quae vel sapientioribus in hac vita scire permisit, vel omnino perfectis in alia vita scienda servavit, ultra vires meas esse profiteor". Quae vero Augustinus ultra suas vires esse dicit, spectant illam quaestionem de inmutabilis Dei actione, de qua doctissimus ille episcopus ita [1]) secum cogitabat: „si dixero non in tempore creatos angelos, sed ante omnia tempora, et ipsos fuisse, quorum Deus dominus esset, qui nunquam nisi dominus fuit (videlicet semper inmutabilis est): quaeretur a me etiam, si ante omnia tempora facti sunt, utrum semper potuerint esse, qui facti sunt? His respondendum forte videatur: quomodo non semper, quum id, quod est omni tempore, non inconvenienter semper esse dicatur? Usque adeo autem isti omni tempore fuerunt, ut etiam ante omnia tempora facti sint: si tamen a coelo coepta sunt tempora, et illi jam erant ante coelum. At si tempus non a coelo, verum et ante coelum fuit; non quidem in horis et diebus et mensibus . . . ., sed in aliquo mutabili (?) [2]) motu, cujus aliud prius, aliud posterius praeterierit, eo quod simul esse non possunt; si ergo ante coelum in angelicis motibus tale aliquid fuit, et ideo tempus etiam fuit, atque angeli, ex quo facti sunt, temporaliter movebantur; etiam sic omni tempore fuerunt, quando quidem cum ipsis facta sunt tempora. Quis autem dicat, non semper fuit, quod omni tempore fuit? Sed, si hoc respondero, dicetur mihi: quando ergo non sunt coaeterni creatori, si semper ille, semper illi fuerunt? Quomodo etiam creati dicendi, si semper fuisse intelliguntur? Ad hoc quid respondebitur?" Iis, quae haec, quae attulimus, sequuntur, exponit Augustinus: semper esse non esse idem, atque in aeternitate esse. Ex quo hanc eruit

1) Ibidem.

2) Omnis motus videtur esse mutabilis — quid enim motus, nisi mutatio?

veritatem: „ubi nulla creatura est, cujus mutabilibus motibus, tempora peragantur, tempora omnino esse non possunt; ac per hoc, etsi semper fuerunt (scl. angeli), creati sunt; nec si semper fuerunt, ideo creatori coaeterni sunt. Ille enim semper fuit aeternitate inmutabili, isti autem facti sunt, sed ideo semper fuisse dicuntur, quia omni tempore fuerunt . . . . tempus autem quoniam mutabilitate transcurrit, aeternitati inmutabili non potest esse coaeternum". His omnibus studet Augustinus ostendere, quomodo haec duo componi possint: „Deum semper Dominum fuisse, et: ea, quorum dominus fuerit, non esse ei coaeterna". Sanctus episcopus studuit demonstrare de creatura dici posse eam semper fuisse. Hoc assecutus est de gratia subtilissimus disputator eo modo, quod, et recte quidem, proposuit, ante omnem creaturam, id est: ante omne ens mutabile, tempus non potuisse esse. Itaque, quum et creatura et tempus simul coepissent esse, potest secundum s. Augustinum dici creaturam semper fuisse. Sed estne hoc „semper fuisse" ejusmodi, ut possit inde concludi, Deum „semper fuisse" dominum, id est dominium ejus nunquam esse coepisse, nunquam initium habuisse? Haec duo „semper fuisse" omnino diversae sunt naturae. Sed et ipse s. Augustinus intellexit quaestionem, quam sibi proposuit exponendam, non esse ejusmodi, quae evidenti modo possit exponi, haec enim post illa verba: „Quapropter [1]) si Deus semper Dominus fuit, semper habuit creaturam suo dominatui servientem; verumtamen non de ipso genitam, sed ab ipso de nihilo factam, nec ei coaeternam (ergo non ab aeterno ejus dominatui servientem)" . . . post haec igitur verba ista apposuit: „sed [2]) hoc si respondero eis, qui requirunt, quomodo semper creator, semper dominus fuit, si creatura serviens non semper fuit, aut quomodo creata est, et non

1) l. c. — 2) l. c.

potius creatori coaeterna est, si semper fuit: vereor ne facilius judicer affirmare, quod nescio, quam docere, quod scio". Si ita tantus Augustinus de quaestione nostra est praefatus, quid mirum, quod et alii hanc quaestionem dilucidandam suscipientes metu quodam impleri, et quasi dubitationi videntur implicari? Nos quidem nihil mirandum putamus, quod cum metu et quasi cum dubitatione dictam supra quaestionem viri nonnulli sunt aggressi, sed hoc arbitramur plurimi faciendum, quod cum metu quaestionem illam tractantes manifestum praebuerunt documentum, intellexisse se, in quaestione illa, quae fines spectat illos, qui inter infinitum et finitum sint positi, exponenda fore necessarium, ut res non dicendae dicantur, ut res ab omnibus finibus et omnibus circumscriptionibus absolutae certis aliquibus exprimantur vocibus.

§. 18. Quam ob rem quum s. Augustinus tum et Cusanus plurimi a nobis aestimantur. Et Cusanus enim de quaestione nostra eodem cum metu ac s. Augustinus loquitur, et Cusanus enim tam clare et lucide, quam s. Augustinus, omnes difficultates et impedimenta, quae huic quaestioni dilucidandae obstant, perspexit. „Quoniam [1]) creatura, inquit, per esse maximum creata est, in maximo vero idem est esse, facere et creare, tunc non aliud videtur esse creare, quam Deum omnia esse. Si igitur Deus est omnia et hoc est creare, quomodo intelligi hoc poterit, quod creatura non est aeterna, quum Dei esse sit aeternum, imo ipsa aeternitas; in quantum enim ipsa creatura est esse Dei, nemo non dubitat esse aeternitatem? In quantum igitur cadit sub tempore, non est a Deo, quia est aeternus! Quis igitur intelligit creaturam ab aeterno et cum hoc temporaliter esse . . .? Quis denique intelligere potest, Deum esse essendi formam, nec tamen inmisceri creaturae?

1) De docta ign. l. II. c. 2. fol. XIII.

non enim ex infinita recta linea et finita curva potest unum exoriri compositum. Quomodo igitur capere potest intellectus esse lineae curvae ab infinita recta esse, quae tamen ipsa non informat ut forma, sed ut causa et ratio, quam quidem rationem non potest participare partem capiendo, cum sit infinita et indivisibilis, ut materia participat formam, ut Socrates et Plato humanitatem, aut, ut totum participatur a partibus, nec ut plura specula eandem faciem diversimode, quum non sit esse creaturae ante esse (textus habet abesse, quod sensum probum habere non videtur) (videlicet infiniti), sicut speculum ante est speculum, quam imaginem speciei recipiat. Quis est igitur, qui intelligere queat, quomodo una infinita forma diversimode participatur in diversis creaturis, quum creaturae esse non possit aliud esse, quam ipsa resplendentia, non in aliquo alio positive recepta, sed contingenter diversa, quemadmodum fortassis, si penitus artificatum ab idea artificis dependens non habet aliud esse, quam dependentiae, a quo haberet esse, et sub cujus influentia conservaretur, sicut imago speciei in speculo posita, quod quidem speculum ante aut post per se et in se nihil sit . . . Quis ista intelligere posset, quomodo omnia illius unicae infinitae formae sunt imago, diversitatem ex contigenti habendo, quasi creatura sit Deus occasionatus [1]), quoniam ipsa infinita forma non est, nisi finite recepta, ut omnis creatura sit, quasi infinitas finita, aut Deus creatus . . . ac si dixisset creator fiat et quia creator fieri non potuit, qui est

1) Hic modus dicendi, si quis eum ex contextu depromptum consideraverit, possit videri pantheismum sapere. In contextu autem spectatus, nihil est aliud, nisi comparatio, rara quidem atque insolens, sed, quia tantum comparatio est et non modus dicendi proprius, nullum potest esse argumentum, quo Cusani pantheismus demonstretur.

ipsa aeternitas, hoc factum est, quod fieri potuit, Deo similius. Ex quo subinfertur, omnem creaturam ut talem perfectam, etiam si alterius respectu minus perfecta videatur". Quibus pulcherrimis et altissimis, quae ideo non longum tibi fuit audire, lector benevole, nihil aliud putamus Cusanum voluisse assequi, nisi ut intelligamus, quot et quantae difficultates oriantur nobis nitentibus, non dico intelligere evidenter, verum etiam aliquantulum persipcere modum, quo Deus omnibus creaturis dederit esse. Imo quasi alterum Augustinum videmus in illis verbis Cusanum sincere quaerentem modum, quo possit intelligi actio illa Dei aeterni, qua omnia finita facta sint; et quum iterum iterumque audimus eum proponentem illam quaestionem his verbis: „quis ista intelligere posset", quasi dicere haec videtur: nec me ipsum, neque alios volo fallere, sed omnes tantum compellere, ut istam quaestionem altissimam et maxime absconditam secundum suas quisque vires et facultates inquirere ac scrutari nitatur! At duae tamen in verbis illis occurrere videntur sententiae quasi principales, in quibus tota vertitur quaestionis gravitas. Et primum quidem hoc ut attendamus Cusani maxime videtur interesse, quomodo a Deo, qui est infinitas, ideoque nulli mutationi potest esse obnoxius, res finitae suum habeant esse. Si enim haec est inter infinitum et finitum necessitudo, tunc aut Deus videtur habendus mutabilis, aut creatura putanda aeterna: „quis igitur, inquit, intelligit creaturam aeternam et cum hoc temporaliter". Deinde hoc ut diligentissime scrutemur Cusanus nos admonet, quomodo, quum omnia ab absoluto principio tam sint necessario [1]), ut sine illo esse non possint, hoc ita fieri potuerit, ut absolutum illud principium non sit eodem modo, quo sunt finita: „quis igitur intelli-

1) Hoc „necessario" non Deum sed creaturam spectare per se patet.

gere queat, quomodo diversimode una infinita forma, participatur in diversis creaturis, quum creaturae esse non possit aliud esse, quam resplendentia . . . quis intelligere potest, Deum esse essendi formam creaturae, nec tamen inmisceri creaturae". Quae si accurate consideraverimus facile perspiciemus, Cusano, haec ita proponenti, id praecipue esse in animo, ut modus, quo finita facta sunt ab infinito, ita intelligatur et explicetur, ut Deus quoad suam infinitam, aeternam, inmutabilem naturam, non subjiciatur mutationi alicui et tamen ostendatur, omnia finita a Deo pendere. Hanc difficillimam quaestionem, ut aliquo modo dilucidaret, usus est Cardinalis noster modo illo dicendi, Deum esse omnium complicationem et creando explicasse omnia. Unum potest statui tantum principium omnis esse, in quo principio, quippe quod sit principium, omnia contineantur, sive complicentur. Omnia igitur, quae sunt, autequam facta sunt, in Deo continebantur. Sed quomodo? Modo videlicet divino et non entiter, uti jam supra [1]) hoc est expositum. Sed quomodo omnia, quae sunt, in suum modum essendi transierunt? quae et qualis est causa, ut mundus sit?

§. 19. Num Cusanus, quum dixisset, Deum creando explicasse omnia, ita id intellexit, quasi ex Dei essentia effluerent et diffunderentur omnia? Hoc ita [2]) quidem nonnulli intelligendum putaverunt; nos tamen affirmamus affirmatumque demonstrabimus, vocem illam explicandi nihil aliud apud Cardinalem nostrum significare, nisi id, quod illo „creare ex nihil" denotamus. Tunc in lucem ponere conabimur, Deum Cusani, etsi dicitur de eo, creando explicasse eum omnia, esse vere Deum personalem, quippe qui omnia libere et sapienter fecit et libere ac sapienter diri-

1) p. 40. §. 16.
2) Dr. Stöckl. l. c. Dr. Denzinger l. c. p. 358.

git et gubernat, eamque ob causam illud ejus „creando explicare“ omnem pantheismi imputationem et accusationem excludere. Modus enim ille creationis ex nihilo, quo nos dicimus finitum ab infinito suum accepisse esse, ille est unus, quo si quis utitur ad explicandum ortum finitorum, periculum illud effugere potest, ne pantheismi implicetur doctrinis. Qui enim creasse dicit Deum omnia ex nihilo, jam affirmat, omnia creata, sive ea, quae tempore aliquo, sive ut recte vult Augustinus, cum tempore coeperunt esse, aliud esse genus essendi, atque est Dei natura, quippe quae non ex Dei infinita natura sint, ut ita dicamus, constructa, sed quae ex nihilo sint facta. Quamquam idea ista creationis ex nihilo ita explicata, jam praemonstrat menti humanae viam, quam debeat ingredi, si de initio finitorum sine pantheismi periculo velit cogitare, eidem tamen, ad ejus significationem accuratius determinandam, aliquid tanquam explicatio est apponendum. Etenim creare actionem aliquam significat. Sed quum actionem omnem duplicem distingui debere nobis quidem persuasum sit, actionem videlicet ex libera proficiscentem causa et actionem, quae a necessaria pendet causa, declarandum est, qualis sit actio illa creandi, utrum libera an necessaria? Si hanc duplicem actionis naturam accurate consideraverimus, lucidissime nobis patebit, quanti sit discriminis dicere: Deum libere mundum ex nihilo creasse, et dicere: Deum necessario omnia ex nihilo creasse. Qui Deum dicit mundum necessario creasse — sive: fieri non potuisse, quin crearet, jam quodmodo possit contendere, mundum non esse aeternum, non videmus. Quapropter, ut illud „creare ex nihilo“ revera sit illa idea, qua initium, quod finita ab infinito habent, ita explicemus, ut non in pantheismi doctrinas incidamus, necesse est, ut statuamus Deum creasse mundum ideo, quia creare eum voluit. Sed si dicimus Deum creasse mundum ideo, quia voluit eum creare, jam eo ipso profi-

temur, esse nobis persuasum, Deum esse principium personale, ens secundum rationis normas agens. Principium omnium rerum ens personale esse multi negaverunt [1]) et plerique negant philosophi recentiores id afferentes causae, quod, qui Deum personalem esse doceant, inter finita entia eum reponant. Nobis tamen, personali tantum principio omnium quae sunt, praesupposito, videtur mens humana posse aliquo modo, etsi non intelligere clareque perspicere, attamen praesentire et suspicari et, ita praesentiens et suspicans, conjicere, infinitum illud principium, quod omnis perfectionis sit plenitudo ideoque et omnis possibilis sapientiae plenitudo, potuisse perficere, ut quae non erant, essent et tamen non essent ejusdem essentiae, cujus est ipsum infi-

---

2) Afferimus, quae Fichte v. g. de Deo personali opinatur: Gott Persönlichkeit beilegen, ist so viel, als ihn zu einem endlichen beschränkten Wesen machen. Die Wissenschaftslehre befreit von solchem Götzendienst, sie erkennt als das Absolute d. h. das Höchste, den Endzweck des moralischen Handelns; die moralische Weltordnung; diese ist der alleinige Gott (cf. Erdmann l. c) — De eodem principio personali ita sentit E. v. Hartmann, qui novum quasi systema proposuit in opere illo, quod a multis summis effertur laudibus, „Philosophie des Unbewussten:“ „Alles zeigt durch seine Zweckmässigkeit, dass Vernunft, durch seine Wirksamkeit, dass Wille sich in ihm manifestirt. Beide müssen unbewust sein, denn Gehirnschwingungen, die unentbehrlichen Bedingungen des Bewusstseins, werden erst durch sie hervorgebracht; eben so müssen sie inmateriell sein, denn nach der modernen Wissenschaft ist das einzig Reale in der sogenannten Materie die unendlich vielen anziehenden und abstossenden Kraft- (d. h. Willens-) centra; endlich nöthigt uns das Concurriren beider dazu, den gedankenlosen Willen und die kraftlose Idee nicht als zwei gesonderte Substanzen, sondern als Attribute eines Wesens, das absoluter Geist genannt werden, wenn man mit diesem Worte nur nicht die confuse Vorstellung eines persönlichen bewussten Wesens verbindet, und welches eben darum lieber das Unbewusste heissen möge, anzusehen. (cfr. Erdmann l c. B. II. p. 788).

nitum principium. Deum Cusani hoc esse principium infinitum libere omnia ex nihilo creans, jam ex ipsius scriptis afferendis locis luculentius demonstrare conabimur. At primum tamen exponendum nobis videtur, quomodo Cusanus creationem ex nihilo intellexerit —; deinde vero demonstrandum, Deum Cusani ideo mundum creasse, quia voluit et ita, quam voluit.

§. 20. Jam igitur videamus, quomodo Cusanus creationem ex nihilo definiat [1]. „Omnis creatura, inquit [2]), actu existens utique esse potest, quod enim esse non potest, non est; unde non esse non est creatura, si enim est creatura, utique est. Creare etiam est ex non esse ad esse producere . . . Quum enim praecedit ipsa aeternitas non esse, quod se ipsum in esse producere nequit, necesse est omnia per aeternum esse de non esse, seu ex non existentibus produci. Aeternum igitur esse est necessitas essendi omnibus“ . . . Est igitur creatio productio ex non esse ad esse. Non esse idem Cusanum habere atque nihil, ex eo patet, quod dixit: „necesse est, omnia per aeternum esse de non esse, seu de non existentibus produci. Alio [3]) loco legimus: „super omnem intellectum inenarra-

1) Ideam illam creationis a variis philosophis vario modo fuisse intellectam et expositam, de Lamenais sit documento: „Die Schöpfung ist nach Lamenais (sagt Ueberweg l. c. B. III. p. 361) die Verwircklichung der göttlichen Ideen ausser Gott. Dieselbe ist weder eine Emanation, noch eine Schöpfung aus nichts. Sie ist eine Participation. Gott zieht alle Wesen aus der Substanz, und man kann nicht voraussetzen, dass es darin etwas ausser der Substanz geben könne; aber dies ist nicht eine nothwendige Emanation, sondern ein freier Act des Willens! — Et V. Gioberti, quem supra attulimus, miro modo creationem studuit interpretari. (confr. V. Gioberti: Introduzione allo studio della Filosofia: ed. IIda Brusselle 1844. tom. II. p. 198).

2) De Possest fol. CLXXXII.

3) De quaerendo Deum fol. CC. cfr. de ludo globi l. I. f. CLXII.

bilis stupor est, quod non solum de lapidibus excitare scit (scl. Deus) vivos homines, sed et de nihilo vivos homines et vocare ea ad esse, quae non sunt, . . . quis hic magister est, qui non similitudinem cum defectu, sed essentiam veram sine aliqua materia „ex qua“, in esse producit“. Et alio loco [1]) haec pulcherrima et praecisa inveniuntur: „Placuit suae (Dei) bonitati effluenti extra se bonificare et creare; creavit itaque triplicem naturam, spiritualem tantum, corporalem tantum et mixtam . . .“ Jam ex his luculenter videre possumus, creare ex nihilo secundum Cusanum nihil aliud esse, nisi facere, ut aliquid sit, quod non fuit, quomodo et nos creare ex nihilo intelligere et explicare sumus solentes. Quae Cusani creationis ex nihilo explicatio, quamvis in allatis supra tam clara esse appareat, multis cognoscetur difficultatibus obruta, si ea consideraverimus, quae Cusanus de eadem creatione protulit quasi ad reddendam eam ejusmodi, quae a mente humana aliquo modo possit perspici. Etenim quum Cusani nostri non esset, ut res explicandas difficiles omitteret et faciles explicaret, maximum propterea quis eum miraretur adhibuisse studium, ut enuclearet et aliquomodo manifestum redderet, quomodo creatio ex nihilo esset facta, quaenam videlicet relatio esset inter ens absolutum uti plenitudinem et fontem omnis esse, et ejus causatum sive ens finitum. Jure autem Cusano nostro est persuasum, mundum creatum, antequam creatus fuisset, aliquo modo in Deo, suo principio fuisse: „quum Deus, inquit [2]), omnia de non esse producat, nisi ipse actu esset omnium et singulorum esse, quomodo [3]) de non esse

1) Excitationum l. II. fol. XXXI.

2) De Possest fol. CLXXXIV.

3) Et s. Augustinum putamus eodem fere modo hanc rem scrutari, quum haec profert: „numquid existimandum est subito Deo placuisse hominem facere, quem nunquam antea infinita retro aeternitate fecisset, cui nihil novi accidere potest, in quo mutabile

producceret?“ Haec, etsi jam in superioribus erant commemorata, ideo in mentem revocavimus, quia sunt Cusano principium, quo nititur et quod semper in mente habet, quum in explicanda idea creationis ex nihilo versatur. Sed et hoc etiam adjiciendum nobis est, futurum esse, ut facere non possimus, quin nonnulla ex Cusani eloquiis in praesenti quaestione disceptanda et dilucidanda apponamus, quae in superioribus jam erant allata. Cusanus ideam creationis ex nihilo ita in opere suo[1]) principali interpretatur: „quoniam creatura per esse maximum creata est, in maximo vero idem est esse, facere et creare, tunc non aliud videtur esse creare, quam Deum omnia esse. Si igitur Deus est omnia et hoc est creare, quomodo intelligi hoc poterit, quod creatura non est aeterna, quum Dei esse sit aeternum, imo ipsa aeternitas, in quantum enim ipsa creatura est esse Dei, nemo dubitat esse aeternitatem; in quantum igitur cadit sub tempore non est a Deo, quia est aeternus? Quis igitur intelligit creaturam ab aeterno et cum hoc temporaliter.“ „Quid[2]) placuit Deo ab aeterno tunc facere coelum et terram, quae antea non fecisset?“ „Perfectum[3]) enim omne imperfectum antecedit: ita unitas pluralitatem, identitas diversitatem sive discretionem. Deus est ergo omnia complicans in hoc, quod omnia in eo (scimus enim jam ex iis, quae de Deo in solo ejus esse exposuimus, esse Deum omnis perfectionis plenitudinem, perfectionem absolutam — possest), est omnia explicans in hoc, quod ipse in omnibus . . . sicut in nostra mente per hoc, quod circa unum

aliquid non est? Valde quippe arduum est et semper Deum fuisse, et hominem, quem unquam fecerat, et aliquo tempore primum facere voluisse nec consilium voluntatemque mutasse. — l. c. XII. 14.

1) De docta ign. II. 2. fol. XIII.

2) Haec s. Augustini inseruimus, quia idem atque Cusanus et eodem modo quaerit. l. c. II. 6.

3) De docta ign. II. 3. f. XIV.

commune multa singulariter intelligimus, numerus exoritur, ita rerum pluralitas ex divina mente, in qua sunt plura sine pluralitate, quia in unitate complicante. Per hoc enim quod res non possunt ipsam aequalitatem essendi aequaliter participare, Deus in aeternitate unam sic, aliam sic intellexit, ex quo pluralitas, quae in ipso est unitas, exorta est. . . . Quomodo vero intelligis pluralitatem, cujus esse est ab uno absque multiplicatione, aut quomodo intelligis multiplicationem unitatis absque multiplicatione, non quidem sicut speciei unius, aut unius generis in multis speciebus, aut individuis extra quae genus aut species non est, nisi per intellectum abstrahentem, neque rebus unitam, aut immersam, quomodo explicetur per numerum nemo intelligit . . . non restat (igitur) nisi dicere, quod pluralitas rerum exoriatur ex eo, quod est in nihilo. . . .“ Hunc in modum Cusanus creationem ex nihilo studuit dilucidare. Principalis idea, qua usus est ad hunc finem assequendam, est illud „explicandi“ vocabulum. Sed hoc si ita se habet, si videlicet Cusanus idem haberet creationem atque explicationem, et si explicandi vocabulum dilatationem et diffusionem alicujus rei omnium more procul dubio solet significare, quomodo non in pantheistarum partes Cusanus noster videatur esse transgressus, multi forsitan ex nobis quaerent.

Haec de philosopho nostro suspicantes non essent forsitan vituperandi, nisi illud esset verum, quo monemur, ut si quem recte intelligere cupimus, ejus modos dicendi accurate perpectos habere studeamus, uti Cusanus et ipse hac in re tam scite nos hortatur, quum dicit[1]): „ad hoc in omni studio librorum principalem operam adhibeas, ut interpretationem vocabulorum juxta mentem scribentis

1) Compendium c. X. f. CLXXII.

attingas et cuncta facile comprehendes scripturasque concordabis, quas sibi contradicere putas." Et revera „explicare" illud Cusani, si ita consideratur, ut alii eandem rem spectantes modi dicendi cum hoc vocabulo comparentur, minime causa esse potest, cur Cusano pantheismus objiciatur. Cusanus illam explicandi vocem ita [1]) describit: „omnia quae quocunque modo sunt, aut esse possunt, in suo principio complicantur, et quaecunque creata sunt aut creabuntur, explicantur ab ipso, in quo complicite sunt . . . volo dicere, quod omnia illa complicite in Deo sint Deus, sicut explicite in creatura mundi sint mundus." Jam ex his verbis videmus vocabulum explicandi multo alio sensu a Cusano adhiberi, atque in sermone vulgari solet adhiberi. Non ita enim omnia ut sint explicantur a Deo, in quo uti in principio complicabantur, ut eandem, quam Deus habet, retineant naturam — in Deo Deus quidem mundus fuit, sed explicite i. d. in creatura, sive post creationem, mundus est: „in Deo, [2]) ex ipso et per ipsum sunt omnia, tamen incomprehensibilis Deus a creatura, ambulat enim super pennas ventorum id est super intelligentias angelorum." „Altior [3]) enim contemplatio est de Deo trino et uno et de Dei proprietatibus et aequalitate attributorum, de potentia Dei, quomodo omnia creavit et quomodo in ipso et per ipsum fuerunt et sunt omnia". Sed quid est causae, cur Cusanus hoc vocabulo tam ancipitis et non determinatae significationis usus sit? Nobis nihil aliud videtur hujus rei esse causa, nisi id, quia voluit Cusanus accuratissime denotare et signare magnam illam dependentiam, quae est finito ab absoluto, et quia studuit praeterea id assequi, ut hoc tanquam veritas absoluta heberetur, Dei agere, quo

1) De Possest f. CLXXV.
2) Excitat. op. t. II. fol. XXVI.
3) Ibidem fol. XXXIII.

mundum creavit, nulla esse affectum mutatione. Alterum studet assequi philosophus noster verbis illis supra citatis, quum dicit: „Deus est omnia explicans in hoc, quod ipse est in omnibus"; alterum quum haec proponit: „Deus est omnia complicans in hoc, quod in ipso omnia" sive quod ipse est absolute perfectus, ideo inmutabilis, ideo ejusmodi, qui neque ulla re indigere, neque ulla potest locupletari. Ita revera vocabulum illud famosum esse intelligendum et non eo sensu, quo vulgo solet intelligi clarissime patet ex multis, quae ipse Cusanus quasi ad hoc vocabulum accuratius definiendum eodem supra citato loco adjunxit. Ita enim, prolata illa sententia, Deum, quia explicavit omnia, esse in omnibus, commemorato loco loquentem eum audimus: „sicut nostra mente, per hoc, quod circa unum commune multa singulariter intelligimus, numerus exoritur, ita rerum pluralitas ex divina mente, in qua sunt plura sine pluralitate, quia in unitate complicante." His verbis comparatis cum illo eloquio: „Deum explicasse omnia et ideo esse in omnibus", nemo potest dicere, Cusani explicationem habere aliquam necessitudinem cum ea explicatione, quae pantheismi est signum et documentum.

Etenim si similitudo est statuta a philosopho nostro inter mentem humanam cogitantem et divinam mentem, quae unitas complicans dicitur, et ex qua commemoratur pluralitas rerum oriri, jam evanescit omnis causa pantheismi objiciendi philosopho nostro, quum vocabula illa complicandi et explicandi non possint jam secundum mentem philosophi nostri habere ullam necessitudinem cum significationibus illis diffusionis et emanationis. Quae enim menti cogitanti et meditanti, sive aliquid facere studenti necessitudo cum diffusione et emanatione? Mens cogitans consilia potest statuere et modos aliquid assequendi sciscitari — at nullo modo diffundi, dispergi; quam ob rem Cusani explicatio complicationis hunc sensum dispersionis certo

habere non potest. Nihil pantheismi adhaerere vocabulis complicandi et explicandi, si secundum mentem philosophi nostri ea interpretemur, clarius nobis etiam patebit, si nobis in mentem revocaverimus, Cusanum loco dicto loqui de Deo in aeternitate aliam rem sic, aliam sic intelligente, vel etiam, si reminisci voluerimus, Cardinalem nostrum negasse, Deum esse aliquid „per intellectum“ abstractum vel mundo „immersum. . . .“ Quod si Cusanus putaretur ita creationem ex nihilo intelligere, ut persuasum haberet, mundum ortum esse per expansionem, explicationem, diffusionem entis supremi, quomodo omnia ista non absona in systemate philosophi nostri essent dicenda? Quid est rationis atque causae, cur Deus in aeternitate unam rem sic, aliam sic intellexisse proferatur, vel quomodo Deus non sit aliquid abstractum[1]), ita se babens ad „singularia“ finita, quam se „species„ habet ad „individua“, vel quomodo Deus non sit aliquid rebus „unitum“ et „immersum“, si Dei esse et mundi esse in eo tantum differant, quod alterum sit alterius vera complicatio et alterum alterius quasi expansio, dilatatio, diffusio, explicatio? Haec nullo modo non possunt haberi strictissimum argumentum contra omnes, qui dicant, Cusani Deum eo modo solum differre a creaturis, quo differat universale a singulari. — Quapropter nec ullo modo[2]) illud philosophi nostri genus dicendi: „Deus explicite est in omnibus“ ita est intelligendum, quasi divina essentia sit unica substantia, cui omnia, quae sunt, quasi accidentia insint, quia Cusanus ipse distincte commemorat, non eodem modo habere se infinitum ad finitum, quo se habeat substantia ad ea, quae dicuntur ejus accidentia: „tolle substantiam“, inquit, a composito et non remanet

1) De docta ign. l. II. c. 3.

2) Confr. quoad hanc quaestionem Zimmermann l. c. et Erdmann l. c. p. 448.

aliquod accidens et ita nihil remanet; quomodo hoc potest per nostrum intellectum attingi, nam quamvis accidens pereat sublata substantia, non est propterea accidens nihil; perit autem, quia accidentis esse est adesse et propterea sicut quantitas non est, nisi per esse substantiae; tamen, quia adest, tunc substantia per quantitatem est quanta; non est sic hic, nam creatura non ita Deo adest, nihil enim confert Deo sicut accidens substantiae, imo accidens in tantum confert substantiae, quod, quamvis ab ea habeat esse, tamen ex consequenti substantia sine omni accidenti esse nequit; hoc quidem in Deo similiter esse nequit.“

His jam sufficienter exposuisse et demonstrasse putamus, illud Cusani, „explicare et complicare“ non posse ita intelligi, ut pantheistica inde sequatur doctrina. Quum tamen quaestio haec maximi sit momenti, operae etiam pretium esse videtur, ipsum Cusanum loquentem adducere, qui eam ipse evidentissime dissolvat et expediat. Quod facere eo magis etiam nostrum esse ducimus, quod Cusani hujus quaestionis interpretatio et solutio maxime est sincera, lucida et manifesta. „Neque enim est verum“, inquit[1]), „si Deus est omne, quod est, quod propterea non creavit omnia de nihilo, nam Deus solus est complicatio omnis esse cujuscunque existentis, hinc creando[2]) explicavit coelum et terram; imo, quia Deus est omnia complicite modo intellectualiter divino, hinc et omnium explicator, creator, factor et quidquid circa dici potest . . . et quum habeatur in docta ignorantia, quod Deus non istud quidem est et aliud non est, sed omnia et nihil omnium, est complicative omnia et nihil omnium explica-

1) Apologia doctae ign. fol. XXXIX.

2) Augustinus habet: „creando omnia disposita sunt“. l. c. XI. 9.

tive . . esse creaturae est ab esse absoluto modo, quo dici aut intelligi nequit . . . ubi vero adversarius impugnat, Deum esse absolutam omnium quidditatem, nihil penitus intelligit ille homo, nam est quidditas [1]) omnium quidditatum et absoluta omnium quidditas, sicut absoluta entitas entium". Deus igitur creando explicavit omnia, explicavit coelum et terram; cujus rei haec apponitur causa, quod Deus sit omnia modo intellectualiter divino. Haec apposita causa nonne nos docet, Cusanum vocabulis illis complicationis et explicationis nihil aliud designare intendisse, nisi magnam illam dependentiam, quae est finito ab infinito, et quod Deus mundum si non creaverit, nihilo minus non minus dives exstitisset, sive quod Deus absolute idem sit post creatum mundum, qui fuerit ante mundum creatum; „Deus est omnia modo intellectualiter divino". Deus, habendus principium et causa omnium, quae sunt, sed principium omni ex ratione absolutum, omnem ideam mutationis et vicissitudinis excludens, est et secundum mentem philosophi nostri illud principium, quod Aristoteles dixit [2]) *πρῶτον κινοῦν*, quod *κινεῖ οὐ κινούμενον* et de quo haec pulcherrima Iliadis protulit verba:

Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη· εἷς κοίρανος ἔστω, quorum sensus verborum, si ea philosophice voluerimus interpretari,

1) Conferet forsitan ad rem melius intelligendam, si noverimus, quae Augustinus habet de re eadem. Quapropter apponimus, quae sequuntur: „Neque enim multae, inquit, sed una sapientia est, in qua sunt inmensi quidem atque infiniti thesauri rerum intelligibilium, in quibus sunt omnes invisibiles atque incommutabiles rerum rationes, etiam visibilium et mutabilium, quae per ipsam factae sunt. Quoniam Deus non aliquid nesciens fecit, quod nec de quolibet homine artifice recte dici potest: porro si sciens fecit, omnia ea utique fecit, quae noverat. Ex quo occurrit animo quiddam mirum, sed tamen verum, quod iste mundus nobis notus esse non posset, nisi esset; Deo autem nisi notus esset, esse non posset. l. c. XI. 10.

2) Metph. XII. 6 et 10. confr. Ueberweg l. c. I. p. 176.

quam accurate et praecise continetur in illis nominibus, quae Cusanus Deo tribuit, in maximitate videlicet absoluta, in coincidentia oppositorum, in possest, quorum significatio et significationis ambitus sunt revera tales, quales jure ac merito de principio omnium absoluto, pronuncientur, quum commoveatur mens humana iis, ut principium omnium, quae sunt, habeat unicum ens et perfectissimum. Denique haec adhuc notemus, quae sub finem loci a nobis allati exponit Cusanus strictius et per modum quasi magis singularem, quomodo creatura habeat se ad creatorem. Asserit vero philosophus noster, Deum, quippe qui omnium sit creator et factor, omnium esse quidditatem absolutam, quin etiam, esse eum absolutam entitatem omnis existentis. Quorum sensum si accuratius perpenderimus, cur Cusano non simus assensuri, non video. Audimus hic philosophum nostrum distinguentem [1]) inter absolutam quidditatem et quidditatem rerum. Ex hoc jam patet, non ita dici hic Deum quidditatem absolutam, quasi ille s o l u s esset quidditas sive essentia, et res creatae quasi essent ejus aliqui modi, sed eo sensu, quod Deus, quum omnium sit principium, sit omnis essentiae creatae dominus, quippe qui ejus existentiae quasi invigilet. Absoluta quidditas scilicet una est et eadem semper, quidditates rerum sunt numero indefinitae. Quae si ita se habent, jam possumus Cusano assentire ac dicere cum eo, Deum esse absolutam omnium quidditatem, absolutam entitatem omnis existentiae. „Dum [2]) enim attente consideratur, omnem creaturam nullam habere essendi rationem aliunde, nisi, quia sic creata est et quia voluntas creatoris sit ultima essendi ratio sitque ipse Deus creator

1) Confr. Düx: Der Deutsche Cardinal N. v. Cusa und die Kirche seiner Zeit B. II. et Ap. d. ign. fol. XL „ecclesia dicit de Deo in oratione: vita viventium Deus" . . .

2) De Beryllo c. XXIX. fol. CXC.

simplex intellectus, qui per se creat ita, quia voluntas non sit, nisi intellectus seu ratio, immo fons rationum, tunc clare videtur, quomodo id, quod voluntate factum est, ex fonte prodiit rationis, sicut lex imperialis non est nisi ratio imperatoris, quae nobis voluntas apparet". Voluntas igitur Dei, quae in Deo, qui absoluta est identitas, idem est atque intellectus, omnia et fecit et conservat et gubernat. Sed his jam finem faciamus iis, quae ad expositionem vocabulorum complicandi et explicandi erant nobis explicanda. In hac expositione, quam maxime jejunam et imperfectam esse sentimus, ostendere sumus conati, Cardinalem nostrum vocabulo illo explicandi nihil aliud denotare voluisse, nisi creationem ex nihilo, quam ideam vocabulo illo aliqua ex parte voluit explicare et dilucidare. Quod Cusanus vocabulo non satis distinctae et certae significationis ad hunc finem attingendum sit usus, non tribuetur ei tam magno crimini ab iis, quos non fugit, alios [1]) multos philosophos eosque in ecclesia

---

1) Josephus Bach in suo nitidissime et elegantissime conscripto libello „Meister Eckhart", quod jam erat commemoratum, ita de hac re loquitur: (p. 10.) wie das in der alten Kirche besonders bei den Vätern der platonischen Schule so häufig vorkommt und gar nicht beanstandet wird, bezeichnet auch die deutsche Mystik den Hervorgang der Welt aus Gott, als ein Herausfliessen, Emanation. Dieses Bild der Emanation wurde in der alten Kirche, selbst in den Evangelien angedeutet, um die widrigen Vorstellungen des Anthropopathismus von dem Verhältnisse Gottes zur Welt ferne zu halten. Dieses Bild der Emanation schien auch für das denkende Bewustsein dem christlichen Schöpfungsbegriffe am meisten zu entsprechen. Wir finden dasselbe nicht etwa blos bei dem Psendo-Dionysius und bei Joannes Scotus Erigena, sondern bei Theologen, welchen in der Kirche dogmatische Bedeutung zugemessen wird . . . Wir deuten hin, dass dasselbe Bild im 12. Jahrh. bei einem Bernhard, bei den Victorinern wiederholt gebraucht wird. — Unmittelbar nachdem der h. Thomas die Freiheit Gottes bei der Schöpfung hervorgehoben hat, bezeichnet er die Schöpfung als emanatio tius entis ab uno! Da, wo er von der Ewigkeit Gottes und der Zeitlichkeit der Welt handelt und dessen Unterschiedensein von der Welt bespricht, vergist er nicht zu bemerken, dass Gott in allem also auch in der Welt, ist: per potentiam, essentiam et praesentiam.

summi habitos ad eandem creationis [1]) ideam exponendam usos esse non minus ambiguis vocibus, quin etiam voce emanationis [2]). Sed jam id nobis est demonstrandum, principium omnium, quae sunt, absolutum libere et sapienter omnia ex nihilo creasse, quod de principio absoluto, mundum ex nihilo creante, ut omnis et species pantheistici principii ab eo removeatur, putavimus affirmandum.

§. 21. Etenim secundum mentem philosophi nostri non ita finitum ab infinito principio est ortum, ut ab eo initium sumpserit quasi per physicam aliquam actionem, sed ita, ut productum sit ex non esse (= ex nihilo) ad esse voluntatis et intelligentiae actu: „est enim, inquit [3]), Deus principium intellectuale omnis creaturae, agens per intellectum et voluntatem: omnia enim quaecunque voluit fecit". Quod Cusanus tam certam habet veritatem, ut prudentiores appellet philosophos illos, qui a Deo voluntatis et intelligentiae actu mundum fuisse factum, sint professi. „Modum, inquit [4]), quo cuncta sunt a principio, quisque conjicere nisus est, sed ex prudentioribus philosophis habetur

---

1) Victor. Hugo de sacr. l. I. par. II. c. 7.

2) Summa th. I. qu. 45. a. 1. — Comp. th. c. 153. f. 26. „Deus in omnibus est per potentiam, essentiam et praesentiam, nam omne esse est participatio divini esse per potentiam, in quantum omnia in virtute ejus agunt, per praesentiam, in quantum ipse omnia inmediate ordinat et disponit". Confr. Summa th. I. qu. 8. a. 1. a. 3. etc. — Quam haec doctoris angelici similia multis, quae Cusanus adhibuit, ut immutabilitatem et omnipotentiam Dei atque finitatem et dependentiam mundi quam strictissime exponeret. Verba quidem utriusque viri sunt alia, sed una idea unumque studium.

3) Exist. III. f. XLIII. op. t. II.

4) De genesi f. LXXII.

ita a Deo purissimo intellectu, penitus atque perfectissime in actu existenti, formales (formas) naturales [1]) imperio voluntatis oriri, sicut imperio architectonici, cui instrumenta obediunt, forma domus". Quae verba sequitur mentio vitrificatoris vasa vitrea formantis et resolventis secundum voluntatis suae motum. Quibus Cusanus haec subjunxit: „tali licet remota similitudine, Deus licet non colligat [2]) ex aliquo, quod non creavit, possibilitatem rerum, omnia in esse produxit . . . et calore solis ita utitur natura in sensibilibus formis, sicut vitrificator igne, et agit natura uti spiritus vitrificatoris et dirigitur [3]) a mente summi opificis, sicut spiritus magistri a mente ejus . . . imperio verbi creatoris naturaliter facta est lux". Ex quibus verbis quam lucidissime possumus videre, Cusani Deum juxta voluntatis et intellectus normas agere! Naturam dirigi docet philosophus noster a mente summi opificis, uti jam antea audivimus [4]) ab eo „Deum esse causam efficientem et finalem atque formalem omnium, quia efficit verbo uno omnia quantumcunque diversa inter se". Recte Deus dicitur, et contra modum et morem pantheistarum, dirigere naturam et omnia secundum voluntatis suae consilium ad certum finem secundum certas leges, quas naturae sequendas dedit, perducere. Deus enim ipse est, qui cuncta fecit eaque mirabili modo disponit, ut omnia sint bona et pulchra, ut quaecunque creata sunt, harmoniam componant proportionemque explicent. „Omnia igitur [5]) sunt secundum numerum in unitate, secundum quantitatem in puncto,

---

1) Haec comparentur cum iis, quae in praecedenti adnotatione de anima mundi sumus praefati. (§. 16. p. 40.)

2) Confr. quoque de docta ign. II. 8.

3) Et haec componantur cum eis, quae de eadem anima mundi sumus praefati. (§. 16. p. 40).

4) De docta ign. II. 9.

5) De quaerendo Deum fol. CC.

omnia secundum temporalem successionem in nunc praesentiae et omnia secundum omne id, quod sunt, fuerunt aut erunt, aut esse possunt in infinita virtute omnipotentiae. Absolute enim est Deus noster infinita virtus penitus in actu . . . . Deinde, si ad sapientiam nostri magisterii (sc. magisterii Dei nostri) adhuc aliam viam quaeris, adverte! Nam oculo intellectus apprehendis in ligno parvo atque in (hoc) lapide minutissimo, sive in aere, aut auri massa, vel grano sinapis, aut milii, omnes artificales corporeas formas in potentia esse. In quolibet enim num dubitas esse circulum, triangulum, tetragonum, sphaeram, cubum et quidquid geometria nominat . . .? Si artifex ille magnus esset, qui sciret educere de ligno parvo faciem aliquam, aut regis, aut reginae, aut formicam, vel camelum, quanti magisterii est, qui omne id efficere potest actu, quod est in omni potentia? Deus igitur, qui potest omnia educere in similitudinem formarum omnium, quae in hoc mundo sunt et in infinitis [1]) mundis esse possent de quo-

---

1) Doctissimus Denzinger l. c. t. I. p. 359. Cusanum affirmat docere „optimismum", suamque affirmationem c. V. l. II doct. ign. putat probari. Ast, quam non accurate rem consideraverit vir doctissimus, hic facile videbit, qui totum illud caput quintum l. c. perlegerit. Verba illa l. c. „ut ita omnia id sint, quod sunt, quoniam aliter et melius esse non potuerunt", minime sunt argumentum, Cusanum eo sensu loqui de mundo optimo, quo sensu vulgo vox illa „optimismus" solet intelligi. Est quidem in verbis illis sermo de optimismo, sed de optimismo, qui mundi spectat naturam tantum et non refertur ad Dei voluntatem, et quem nos propterea optimismum diceremus relativum. Dicimus autem optimismum relativum id, quod natura hujus mundi est ejusmodi, ut omnes partes, ex quibus constat, optimam in hoc mundo constituant harmoniam. Sed haec, ut ita dicamus, naturae essentia non est habenda talis, qua alia natura non posset esse melior. Est igitur optimismus relativus ille, qui aliquid dicit optimum in suo genere. Talis optimismus in sacro eloquio invenitur, quia multoties ibi dicuntur

libet minutissimo corpusculo, mirabilis subtilitatis existit; sed adhuc mirabilioris potentiae et scientiae est, qui ipsum granum milii creavit et in ipso hanc virtutem collocavit. Et stupendi magisterii est illa sapientia, quae omnes formas possibiles in grano non in similitudine accidentali, sed in veritate essentiali scit excitare!" Sapienter igitur operatur Deus omnia. Omnia ex ejus pendent sapientia et, quia nulla potest concipi et cogitari sapientia sine liberae voluntatis indole, ex ejus voluntate. Quam haec Cusani doctrina differt ab omnis pantheismi doctrina? Quum pantheismus non novit ordinem in mundo ex libera summi principii libertate pendentem et quum omnia secundum eum necessario modo ab aeterno sunt vel fiunt, Cusanus noster laudibus effert maximis Deum, creaturarum magistrum, qui mirabilis quum sit potentiae et scientiae, quot et quotiescunque velit, de non esse ad esse possit educere. „Quum [1]) aliter, inquit, esse posset mundus aut major aut minor, vel alio modo, cum magnitudo ejus sit terminata et finita, cui non repugnat, quod major sit aut mi-

---

cuncta bona in genere suo. Et Cusanum hunc tantum optimismum habuisse in mente, totum illud c. V nos docet, quod inscribitur „quodlibet in quolibet, et in quo philosophus noster studuit exponere et demonstrare, summam esse omnium entium inter se necessitudinem et intimam relationem, quibus pulcherrimus in mundo efficiatur ordo. Quum (confr. quae sequ. ex Alch. crib.) non nisi ordinem disputationis nostrae confundentes et conturbantes eloquiis apertis et distinctis philosophi nostri afferendis possimus ostendere, Cusanum omnino contrarium esse optimismo sensu illo usitato, afferemus sententias philosophi nostri optimismo inimicas locis opportunis. Tribus aliis citatis locis, quibus vir doctissimus Denzingerus putavit optimismi doctrinam expositam: videlicet de docta ign. II. 7 et 10; de conjecturis II. 7., nihil invenire potuimus, quo posset probari, Cusanum optimismum docere. —

1) Alchor. cribratio l. II. c. 2.

nor, utique ab alio principio seniori ipso id est, quod est, quod ipsum sic [1]) fecit et non aliter.

Illud autem principium, quod non necessitaretur ab alio, quia principium, ante quod non fuit aliud, liberum fuit et est creare et non creare, quemadmodum intellectualis natura libera in suis operationibus." In libello autem pulcherrimo de venatione sapientiae et altissimo, in quo varii campi, qui nihil aliud sunt, nisi categoriae quaedam et relationes maxime universales veritatum logicarum et metaphysicarum, describuntur, et in quibus veritatem humanae menti philosophus noster docet esse quaerendam, praecise, scite, nitide, eleganter, Dei voluntas absoluta et sapientia infinita ita commemorantur et exponuntur, ut hunc jam unum libellum qui attento perlegerit animo omnesque, quas ibi invenerit ideas, diligenter acuteque perpenderit, non facile id passurus sit, ut Cusanum pantheismi arguat. Quamobrem ex hoc libello nonulla hic apponemus. Unus camporum, quos diximus, terminus appellatur, in quo quae sequuntur legimus, seu potius qui, quae sequuntur, scrutanda et meditanda nobis offert: „Campus prope nexum, (qui campus est praecedens) inquit [2]), quem terminum appello, plenus desideratis praedis venationi aptissimis, maximus et interminius est, quia magnitudinis ejus non est finis. Non enim habet nec principium, nec finem, sed principia, media et fines omnium terminabilium in se habet, sicut radix omnipotentiae, in sua virtute omnia continens, cuncta explicat universaque determinat. Consistunt singula in sua praecisione, ut non sint aliud, quam quod sunt. Sed interminius terminus omnium finibilium finis est, omnium praecisionum praecisio et terminus. Terminus, qui est omne, quod esse

---

1) Contra Optim.

2) De venatione sapientiae c. 28. fol. CCXII.

potest, est ante omnem terminum eorum, quae fieri possunt; determinat igitur cuncta, definitque singula. Est enim terminus ipsius „posse fieri" utique interminius, omnia in se determinate, quae fieri possunt, habens antea, terminus igitur omnium rerum et omnium scientiarum! Quid autem est, quod terminum ponit, nisi mens et sapientia? Mens enim, ut optime Anaxagoras videbat, confusam possibilitatem determinat et discernit movetque cuncta, ut ad terminum suum, quem eis determinavit, perveniant! Haec (mens) rerum exemplaria definivit, quae sunt rerum rationes in ipsa praeexistentes, secundum quas divina sapientia omnia praedestinavit seu praedeterminavit produxitque. . . ." „In [1]) termino ordinabilium auctor videtur ordinis. Nam quum hic mundus pulcher esse debuit et partes ejus non potuerunt esse praecise similes, sed varie, ut inmensa pulchritudo in ipsarum varietate perfectius reluceret, quando omnia quantumcunque varia non fuerunt pulchritudinis expertia: placuit creatori varietati concreare ordinabilitatem talem, qua ordo, qui est ipsa pulchritudo absoluta, in cunctis simul reluceret, per quem suprema infimorum infimis supremorum connexa concordanter in unam universi pulchritudinem conspirarent, per quem cuncta de gradu suo contenta ad finem universi pace et quiete, qua nihil pulchrius, fruerentur. Contentatur enim pes infimus in homine ex eo, quod infimus et pes; sicut oculus ex eo, quod oculus et in capite, quia vident ad perfectionem hominis et ejus pulchritudinem se necessaria membra, si sic fuerint et sic in suo locata ordine; extra quem loca nec necessaria, nec pulchra, nec pulchritudinem totius corporis perfectam conspiciunt. . . . Ordinata igitur est in ipsis magnitudo, ut sit pulchra, ut ex ipsis et caeteris

1) l. c. c. 30.

membris magnitudo corporis pulchra resultet. Proportio igitur cujuslibet membri ad quodlibet et ad totum, ordinata est ab omnium ordinatore hominem pulchrum creante" . . . „Est [1]) autem relucentia sapientiae ordo." „Est [2]) igitur ordo universi prima et pretiosissima imago aeternae et incorruptibilis sapientiae, per quem tota mundi machina pulcherrime et pacifice persistit.

Quam pulchre copulam universi et microcosmum hominem in supremo sensibilis naturae et infimo intelligibilis locavit, connectens in ipso ut in medio inferiora temporalia et superiora perpetua! Ipsum in horizonte temporis et perpetui collocavit, uti ordo perfectionis deposcebat." Et ad sapientiam et liberam Dei voluntatem haec omnia referuntur. Universa, quae sunt, sapientiae infinitae sunt signa et documenta, universa, quae sunt, similitudo, imago, „resplendentia" et „relucentia" sunt sapientissimi Dei. Cur autem sint tam pulchra et ordinata praestantissime, nihil aliud est causa, nisi id, quod Deo „placuit [3]) concreare veritati ordinabilitatem." Itaque qualitas mundi non est secundum philosophum nostrum optima, sed talis, qualis ut esset Deo creatori placuit. Quod quam recte affirmemus ex sequentibus melius etiam patebit: „Dum respicis, inquit [4]), „posse fieri" et humaniter consideras, Deum ab aeterno concepisse velle creare utique cum nihil esset creatum, neque coelum, neque terra, neque angeli, nec aliud quidquam, non fuerunt illa plus creabilia, quam alia, quae nihil cum istis habent et de quibus nullum possumus conceptum

1) l. c. c. 31.

2) l. c. c 32.

3) Cum his comparentur, quae de Cusani optimismo, qui ei objicitur, sumus opinati. (§. 21. p. 71).

4) l. c. c. 27.

facere, sed Deus ipse sic[1]) determinavit suum conceptum, quod mundum istum seu hanc, quam videmus, pulchram creaturam crearet; omnia igitur ex determinatione[2]) in se ipsa mentis suum terminum sic et sic essendi receperunt. Et secundum hunc aeternum conceptum creando „posse fieri“ ipsum determinavit ad mundum et ejus partes in aeternitate praeconceptum. Non enim „posse fieri“ vagum et indeterminatum, sed ad finem et terminum, ut fieret mundus iste, et non aliud, est creatum. Quia ipsa mens aeterna libera[3]) ad creandum et non creandum, vel sic[4]) vel aliter suam omnipotentiam ut voluit intra se ab aeterno determinavit.“ Ex hoc etiam sine omni dubio patet Cusanum habuisse Deum ens personale sive libere et sapienter agens, quod dicit Deum propterea mundum creasse, ut se manifestaret. „Postquam, inquit[5]), Anaxagoras vidit intellectum esse principium et causam rerum et in motis dubiis alias causas assignaret, quam intellectum, tam per Platonem in Phaedone, quam per Aristotelem in metaphysica reprehenditur, quasi voluerit, quod intellectus sit principium universi et non singulorum. Miratus sum de ipsis principibus philosophorum, quam ipsi viderent Anaxagoram in hoc reprehensibilem et de principio secum concordarent, cur ipsi alias rationes indagarunt, et in eo, in quo Anaxagoram arguebant, similiter errasse reperiuntur. Sed hoc profecto evenit eis ex malo praesupposito, quoniam necessitatem primae causae imposuerunt. Unde

1) 2) 3) 4) Haec omnia funditus omnem optimismi objectionem evertunt. Si Deus libere suam omnipotentiam sic vel aliter determinavit, si omnia, quae sunt, non plus fuerunt creabilia, quam alia — jam inde necessario consequitur, potuisse Deum determinari ab aeterno alium meliorem mundum creare . . . (§. 21. p. 71).

5) De Beryllo c. 37. fol. CXCII.

si ipsi in omni inquisitioni ad veram causam conditionis universi respexissent, unam omnium dubiorum reperissent solutionem: puta, quid sibi vult conditor, quum de spina tam pulchram et odoriferam motu coeli et instrumento naturae educit sensibilem rosam? quid aliud responderi potest, nisi, quam admirandus ille intellectus in hoc verbo suo intendit se manifestare, quantae est sapientiae et rationis, et quae sunt divitiae gloriae suae, quum tam facile tantam pulchritudinem ita ornate proportionatam ponit medio sensibilis parvae rei in sensu cognoscitivo cum motu laetitiae et dulcissima harmonia omnem naturam hominis exhilarescente? Et adhuc clariori modo se ostendit in vita vegetabili ipsa, a qua rosa progreditur; adhuc clariori resplendentia in vita intellectiva, quae omnia sensibilia lustrat; et quam gloriosus sit ille imperator, qui per naturam tanquam[1]) legem omnibus imperat, omnia conservat in specie incorruptibili supra tempus et in individuis temporaliter et quomodo omnia hac lege naturae oriuntur, moventur et ea operantur, quae lex naturae imperat, in qua lege nonnisi intellectus ille viget, ut omnium auctor!“ Sed ex his, quae hactenus attulimus et exposuimus jam satis, putamus, est manifestum, Deum secundum mentem Cusani, ens esse personale, quippe qui secundum rationis et voluntatis normas omnia, quae sunt, creavit. Omnia creata bona[2]) quidem sunt, sed non ita bona, ut jam non possint

1) Cum his conferatur commemorata in superioribus objectio de anima mundi. §. 16. p. 40.

2) Mira sunt, quae v. Hartmann de mundi bonitate opinatur: So gewiss es ist, inquit, dass die Welt, durch die in ihr sich zeigende Weisheit oder Zweckmässigkeit die möglich beste ist, so folgt daraus doch nicht, dass sie eine gute, oder dass es nicht besser wäre, wenn keine existirte. (confr. Erdmann l. c. II. p. 790). Hoc quidem secundum v. Hartmanni systematis principia et fines verum est. Sed quid veri ejus systematis principia et fines contineant?!

esse meliora. — Quum ex expositis hucusque cognoverimus, Dei naturam secundum Cusani systema essentialiter differre a finitorum natura, et quum viderimus, mundum ortum esse creatione ex nihilo et quidem creatione perfecta a Deo libere sapienterque agente, sive a Deo personali — jam persuasum nobis esse debet, Cusanum injuste argui pantheismi. Sed ut rem magis absolutam et finitam proponamus in hac, quae sequitur, parte, aliqua brevissime quasi corollaria de mundo secundum philosophum nostrum disseremus.

V.

Mundus secundum Nicolaum Cusanum.

§. 22. Hac in parte dissertationis nostrae restat nobis, ut exponamus, mundum natura esse finitum, eandemque mundi naturam in eo constare, quod multis (dici solet a nonnullis etiam infinite multis) partibus consistit, multis videlicet entibus finitis sive individuis, quae singula propriam habent subsistentiam sive realitatem. Talis enim de mundo doctrina si in Cusani systemate contineatur, jam quis eum pantheismi arguet? Quod negotium expediendum suscipientes primum in mentem revocamus, Cusanum jam eo, quod Deum ens supra mundum, id est: supra finita, positum esse docuerit, id esse professum, mundum esse natura sua finitum h. e. unum tantum posse esse infinitum et absolutum, quod omnis perfectionis perfectionem et omnis possibilitatis possibilitatem actu habeat et quod omnium nationum fide Deus credatur, et omne esse praeter hoc infinitum et absolutum, esse finitum. Sed proponamus nonnullas distinctas philosophi nostri locutiones, ex quibus facillimo negotio perspiciemus, in systemate philosophi nostri, etiam

quum mundi respexerimus naturam, quemadmodum ab eo sit descripta, nihil inveniri, quod pantheismi speciem prae se ferre videatur.

§. 23. At quid Cusanus dicit esse mundum. „Universum sive mundum, inquit,[1]) esse comperimus unum, cujus unitas contracta est per pluralitatem. Hac vero unitate in pluralitate perficitur, ut mundus repraesentet pulcherrimam harmoniam atque omnium partium inter se proportionem". „Sed haec [2]) proportio atque harmonia non est in rebus finitis perfecta — praecisa proportio in ratione sua tantum videtur et non possumus in rebus sensibilibus dulcissimam harmoniam absque defectu reperire, quia ibi non est. Ascende hic, quomodo praecisissima, maxima harmonia est proportio in aequalitate (et non in pluralitate), quam homo vivens videre non potest in carne." Ex his relativam et imperfectam, etsi pulchram, quia proportionatam, esse mundi naturam manifeste patet. Finitam debere esse mundi naturam, ita Cusanus studet ostendere: „Solum [3]) absolute maximum est negative infinitum, quare solum illud est id, quod esse potest omni potentia, universum vero, quum omnia conplectatur, quae Deus non sunt, non potest esse negative infinitum, licet sit sine termino et ita privative infinitum et hac consideratione nec finitum nec infinitum . . . . ipsum autem non est actu nisi contracte. Ipsum contractum seu concretum, quum ab absoluto omne id habeat, quod est, tunc illud, quod est maximum maxime absolutum, quantum potest imitatur, quae absoluto absolute conveniunt, illa contracto contracte convenire affirmamus. Deus est absoluta maximitas atque unitas absoluta, entitas, in qua sunt omnia sine pluralitate ipsum

1) De docta ign. l. 2. c. 4.
2) l. c. c. 1.
3) l. c. c. 4.

maximum absolutum simplicissime . . . . ita pariformiter mundus sive universum est contractum maximum atque unum, existens contracte id, quod sunt omnia, quae in omnibus principium contractum atque contractus finis rerum, ens contractum, infinitas contracta, ut sit contracte infinitus, in quo omnia sine pluralitate sunt ipsum maximum contractum, cum contracta simplicitate et indistinctione, sicut linea maxima contracta est contracte omnes figurae, unde quando recte consideratur de contractione omnia sunt clara; nam infinitas contracta, aut simplicitas seu indistinctio per infinitum descendit in contractione ab eo, quod est absolutum, ut infinitus et aeternus mundus cadat absque proportione ab absoluta infinitate et aeternitate et unum ab unitate: unum unitas absoluta, ab omni pluralitate absoluta est, sed contracta unitas, quae est unum universum, licet sit unum maximum, cum sit contractum, non est a pluralitate absolutum, licet non sit, nisi unum maximum; quare quamvis sit maxime unum, est tamen illa ejus unitas per pluralitatem contracta: sicut infinitas per finitatem, simplicitas per compositionem, aeternitas per succesionem, necessitas per possibilitatem et ita de reliquis; quasi absoluta necessitas se communicet absque permixtione et in ejus opposito contracte terminetur . . . universum est universalitas, hoc est, unitas plurium; propter hoc sicut humanitas non est nec Socrates nec Plato, sed in Socrate est Socrates et in Platone Plato ita universum ad omnia. Quoniam vero dictum est universum esse principium contractum tantum atque in hoc maximum, patet quomodo per simplicem emanationem[1]) maximi

1) Aliquibus paucis videtur nobis hoc emanationis vocabulum, quo philosophus noster hic usus est, esse exponendum. Omnis dubiae et ambiguae vocis sensus ex contextu praecipue sermonis, in

contracti a maximo absoluto totum universum prodiit in esse; omnia autem entia, quae sunt partes universi, sine quibus universum, quum sit contractum, unum, totum et perfectum esse non posset, simul cum universo in esse prodierunt et non prius intelligentia, deinde anima nobilis, deinde natura, ut voluit Avincena et alii philosophi, sicut in intentione artificis est prius totum, puta domus, quam pars, puta paries; ita dicimus, quum ex intentione Dei omnia in esse prodierunt." Hactenus Cusanus de finitate mundi et de differentia essentiali inter Dei et mundi naturam, ut ex demonstrata mundi finitate necessario consequitur. Mundus secundum philosophum nostrum est similitudo et quasi resplendentia infinitae Dei naturae! Caput quartum II. l. de docta ignorantia, ex quo ea, quae praemisimus, attulimus, inscribitur: „quomodo universum, maximum contractum, est similitudo absoluti." Itaque primum ita differt mundus, ens finitum ab ente absoluto, quam differt similitudo a re. Ex his jam fortasse quis conjicere voluerit, ens fini-

quo vox aliqua dubiae significationis invenitur, eruendus est. Quapropter et vocis illius emanationis gravitas et dignitas est respicienda, quae ei hoc loco tribuitur. Vox emanationis adhibita est nostro loco cum voce illa „simplex", quae vox, ut significationem ejus magis determinaret, est ei attributa. Quod si ita se habet, jam videmus vocis emanationis significationem et sensum esse subjectum alicui mutationi et modificationi. Si autem, rem accuratius scrutantes, consideraverimus, quid vox illa „simplex" hoc loco habeat gravitatis, facile videbimus, vocem illam eo sensu hoc loco esse positam, ut ipsa omnem totius loci dicti sensum quasi contineat et sustentet, vox vero emanationis nullum aliud habeat momentum, nisi ut relationem tantum generalem dependentiae mundi a Deo revocet legenti in mentem. Etenim loco nostro intendebat Cusanus ostendere contra Avicenam et alios Deum fecisse mundum actu simplici, uno et non multis: „omnia entia simul prodierunt . . . et non prius intelligentia etc. . . . Cfr. etiam p. 68. Expresse distinguit St. Thomas emanationem fabricatione — et dicit emanationem productionem de nihilo et fabricationem productionem de materia.

tum non existere revera, sed modo tantum fallaci et illusorio, quemadmodum videlicet imago in speculo. Sed non eo sensu Cusanum dicere mundum similitudinem Dei, ex eo patet, quod affirmat, res finitas non esse modo accidentali sed essentiali i. e. non illusorio, sed vero modo: „et[1]) stupendi magisterii est illa sapientia, quae omnes formas possibiles in grano non in similitudine accidentali, sed in veritate essentiali scit excitare". Deinde in eo dicitur mundus a Deo differre, quod mundus modo est contracto. Haec contracti idea saepissime a Cardinali nostro usurpatur et tanti in systemate ejus procul dubio est momenti, quanti est vocabulum illud explicationis. Etenim Cusanus ipse de differentia mundi et Dei disserens hoc de voce illa contracti dixit[2]) „unde, quando recte consideratur de contractione, omnia sunt clara." Propterea et nobis finitatem mundi, quam docet Cusanus, et per consequens differentiam essentialem mundi a Deo perspicere et intelligere cupientibus, sit cordi oportet, ut, quid in systemate philosophi nostri haec contracti vox significet, bene cognoscamus.

Vox haec contracti, si etymologiam ejus spectaveris, significat rem, cujus essentia sive natura ab aliqua alia re, superiori videlicet sive praestantiori, est deprompta quasi particula ex toto. Hac sua significatione vocem contracti maxime esse cognatam et propinquam vocabulo illi explicationis per se ex antecedentibus patet. Quod si ita est et si jam ostendimus, voce explicationis usum esse philosophum nostrum non sensu vulgari, qui huic voci solet tribui, sed sensu aliquo distincto et suo systemati accommodato, jam et quod vocem hanc contracti spectat, licet nobis affirmare, eam adhibitam esse in systemate Cardinalis nostri contra communem opinionem et morem. Quam affirmationem

1) De quaerendo Deum fol. CC.
2) l. paullo ante citato de docta ign. l. 2. c. 4.

paucis tamen studebimus firmare et contra inpugnantes eam quasi munire. Et primum hoc ut respiciatur monemus, quod philosophus noster dicit[1]), mundum sive universum omnia continere et complecti, quae Deus non sunt. Ex hac enim opinione jam consequitur necessario, mundum, si dicitur infinitum contractum vel unitas contracta, non ita haec dici, quasi natura ejus esset pars aliqua infiniti Dei, nam si haec natura ejus esset, quomodo mundus diceretur non absurde continere et complecti omnia, „quae Deus non sunt?" Si mundus, infinitum contractum, vel unitas contracta, habitus esset a philosopho nostro uti participatio, contractio, depromptio vel etiam explicatio infinitae Dei naturae, non dixisset Cardinalis noster certe, omnia mundum complecti, „quae non sunt Deus". Tum nostram de significatione vocis illius contracti assertionem haec etiam optime confirmant et muniunt, quae Cusanus directe est locutus de proportione universi, quod dixit infinitum contractum, ad infinitum absolutum, sive Deum. Nullam enim docet Cusanus cadere proportionem inter infinitum mundum et absolutam infinitatem: „infinitus, inquit mundus cadit absque proportione ab infinitate absoluta." Non est ergo vocabulum illud contracti sensu vulgari in systemate Cusani interpretandum.

Sed cur philosophus noster dixit mundum infinitum? Et hoc ex iis, quae jam sunt exposita, potest concludi. Ideo enim mundus sive universum dicitur infinitum sive maximum contractum, quia contracte existit id, quod sunt omnia, in omnibus principium contractum et contractus finis. Sed ex his jam per se patet, mundum dici infinitum eo sensu, quo mundus dicitur „der Inbegriff aller geschaffenen Existenzen." Sed ex hoc id est manifestum, infinitum illud, quod Cusanus mundo tribuit, nihil aliud esse, nisi indefini-

1) l. c. videlicet de docta ign. II. 4.

tum. Nam et quomodo posset Cusanus mundum eo sensu dicere infinitum, quo Deum dixit infinitum? Deus infinitum est actu et realiter, quod unum tantum esse potest. Mundus est infinitus, sed complecti simul dicitur omnia, quae extra Deum sunt — ergo per consequens complecti dicitur finita — ergo infinitas ejus ex finitis dicitur oriri et constare — ergo diceretur „deveniri in finitis simul sumptis ad infinitum actu", quod Cusanum in praecedentibus iterum iterumque audivimus negasse. Sed jam alteram hujus partis paragraphum aggrediamur.

§. 24. Jam audivimus Cusani verba, quibus universum dixit pluralitate partium constare: „universum est universalitas, hoc est: unitas plurium." Ex quibus jam videmus, in systemate philosophi nostri, inveniri doctrinam de pluralitate entium. Sed quum ea tantum de pluralitate entium doctrina cum pantheistarum somniis non possit componi, quae pluralitatem entium propria subsistentia, quae dicitur, pollentium affirmat, afferendae sunt nobis ex scriptis Cusani sententiae, quae nobis persuadeant, eum docuisse pluralitatem entium propria subsistentia praeditorum. Hanc doctrinam philosophus noster manifeste proposuit. „Plura enim, inquit [1]), in quibus universum actu contentum est, nequaquam summa aequalitate convenire possunt, nam tunc plura esse desinerent; omnia ab invicem differre, necesse est, aut genere, specie et numero, aut specie et numero, ut unumquodque in proprio numero, pondere et mensura subsistet." „Diversitas [2]) specierum notionalium nos ducit in notitiam diversitatis rerum. Et licet duo individua videantur in pluribus speciebus convenire, non tamen est possibile, quin in aliquibus etiam discrepent".

1) De docta ign. III. 1.
2) Compendium c. 5. fol. CLXXI; Apol. d. ign. fol. XXXIX.

His Cusanus ita exposuit omnia, quae sunt, propria esse subsistentia, ut ea etiam individualibus signis aliquibus essentialiter differre dicat. Hoc plurimis locis operum ejus dilucidatum invenitur, ex quibus nonnulla etiam apponimus. „Necesse, est inquit [1]), ut differentiam corporum ita ex differentia animarum concipias, quod pariter earum animarum differentiam ex corpore conjicias." Et animae igitur et corpora individualitate propria secundum Cusanum ab invicem differunt. Singulos homines inter se differre ita Cusanus exponit. „Quod humana, inquit [2]), anima corpus (suum) a corporibus caeterorum differre facit animalium, est pariter ex eo, quod tale corpus differentiam spiritus expostulet. Platonisare enim Platonis ab omnibus differt hominibus atque haec differentia pariter ex unitate animae et alteritate corporis exsurgit, quapropter illi, qui animarum dispositionem per sensibilia inquirunt, uti physiognomici, corpus intuentur atque ex ejusdem cum aliis hominibus atque animalibus differentiis et concordantiis spiritus venantur differentiam, hinc etiam est, quod molles carne, aptos mente experimur. Differt quodlibet sensibile animal a quolibet differentia connexa, ex spiritus corporisque differentia procedente; omnem autem spiritum ab omni spiritu et omne corpus ab omni corpore differre, necesse est." Est igitur verum quod doctissimus Zimmermann de philosophia Cusani est opinatus, esse videlicet non ponendam hanc philosophiam inter systemata pantheistica, quia inveniatur in ea „doctrina de entibus-individuis propriam et veram subsistentiam habentibus".

§. 25. Jam finem facturis unum nobis adhuc in mentem venit, ut commemoremus ex Cusani philosophia momentum, quod haud spernendum videtur esse argumen-

1) De conjecturis II. c. 10. fol. LVII..
2) Ibidem.

tum contra accusationes pantheismi, quibus Cusanus obruitur. Homini videlicet libere agendi naturam qui tribuit, pantheista haud potest vocari. Atqui Cusanus quam praeclare hanc homini esse naturam est professus! Qui hoc velit scire, legat ejus excitationum libros decem. Ex quibus, ut affirmationem nostram pateat esse veram, nonnulla apponimus. Secundum Cusanum tali homo praestat voluntatis „energia", ut de ea sequenti hoc modo disserat [1]: „probabilitas est tenuis spiritualis lucis apprehensio et debilis, ideo non firmat, sicut evidentia veritatis fortiter penetrat, figit, firmat certitudinem intellectus. Ideo ex hoc manifestum est, quod credere improbabilia fortitudinis atque vigoris nostrae voluntatis est, sicut amare molesta fortitudinis ac vigoris est nostri affectus. . . . Credere, fundamentum religionis, habet contra se bellum disputativum et dissuasivum, contradictorium et improbabilitatis, quae improbabilitas directe pugnat contra rationem, quia ubi ratio deficit, fides supplet. Omne autem bellum bellica virtute agendum est, quia sine virtute non pervenitur ad victoriam; quare fides virtus! . . . Fides est virtus cum justitia, quoniam justum est veritates credere de Deo, quas intellectus attingere non potest. . . . Volentes autem ad Dei cognitionem accedere oportet primo peccatorum tenebras abjicere et arma lucis induere, oportet rationes naturales, quae sunt ut lumen putridi ligni in nocte lucentis et in die nihil, abjicere, oportet postponere commutabile bonum et inhaerere incommutabili." Qui talia de vigore et fortitudine mentis humanae profert, num potest pantheismi, qui necessario est fatalismus, argui? Qui talem humanae menti tribuit vim, ut vel se ipsam impugnare possit et vincere, qui affirmat inesse menti humanae non tantum indolem respi-

1) Excit. l. II. fol. XXVI. confr. etiam Compd. c. 1.

ciendi in proprias inclinationes et motus, verum etiam posse mentem humanam actus suos dijudicare habereque eam potestatem et facultatem actuum perficiendorum aut omittendorum; hic eo ipso docet affirmatque, eandem mentem humanam ens esse proprium et habere distinctam et ab omni vi externa, quam vincere non possit, absolutam existentiam. Quod vero, quam multum ab omnis pantheisticae doctrinae consequentiis absit, quum uniuscujusque pantheistici systematis de homine doctrina, tum etiam v. Hartmanni, qui formaliter quidem, sed non realiter novum pantheismi vel, ut ille ipse vult, monismi systema proposuit, de hominis vi, indole et dignitate eloquia luculentissime probant. Ita [1]) etenim v. Hartmann de homine opinatur: „Das Unbewusste ändere die Combination von Thätigkeiten und Willensacten, welche m i c h ausmacht und ich bin ein anderer geworden; das Unbewusste lasse diese Thätigkeiten aufhören und ich habe aufgehört zu sein. Ich bin eine Erscheinung wie der Regenbogen in der Wolke; wie dieser bin ich geboren aus dem Zusammentreffen von Verhältnissen, werde ein Anderer in jeder Secunde, weil diese Verhältnisse in jeder Secunde andere werden und werde zerfliessen, wenn diese Verhältnisse sich lösen; was an mir Wesen ist, bin ich nicht. An derselben Stelle kann einmal ein anderer Regenbogen stehen, der diesem völlig gleicht. aber doch ist er nicht derselbe, denn die zeitliche Continuität fehlt; so kann auch an meiner Statt einmal ein mir völlig gleiches Ich stehen, aber das werde ich nicht mehr sein; nur die S o n n e strahlt ewig, die auch in dieser Wolke spielt, nur das Unbewusste waltet ewig, das auch in meinem Hirn sich bricht."

1) Philosophie des Unbewussten, Versuch einer Weltanschauung Berlin 1869 p. 462.

Haec pulcherrimis quidem verbis et cum procelloso quodam animi impetu et mira cum vehementia, quae legentes animum percellit movetque, prolata sunt atque exposita, sed quem finem homini totique humano generi proponunt — quomodo explicant causam et rationem omnium, quos genus humanum suscipit expeditque laborum et molestiarum? Quomodo nos et quare scientes et volentes aliquos persequimur fines, quomodo valemus „incoepto desistere", si omne, quod in nobis est verum, omnis melior nostri pars, non sumus nos? Quamobrem, etsi pantheistae multis exquisitis et subtilibus argumentationibus probabilem reddere conantur conatique sunt suam fatalisticam de homine doctrinam, nunquam tamen hoc nos putamus eos pefecturos, ut adeo conscientiam sui (Selbstbewusstsein) in genere humano infringant obnubilentque suis portentosis propositionibus, ut credant omnes singulique homines, se non distincto proprioque modo existere et non agere se suae propriae voluntatis impetu commotos. Attamen etsi haec nostra sententia a multis viris doctis vera habebitur, multis videbitur esse repudianda et rejicienda. Etenim quem fugiat, pantheismum nostra memoria longe lateque esse dilatatum, magnaeque esse auctoritatis? Omnem veram philosophiam pantheismum esse debere multi affirmant. Hujus vero affirmationis nulla alia est causa, nisi ea, quod non decere virum philosophum multi opinantur, Deum putare ens esse personale. Hac de re non ita tamen sentire omnes, sunt nobis argumentum verba v. Leonhardi, quae in congressu philosophorum anno 1869 protulit et quae necessitatem statuendi Deum personalem ita [1]) proponunt: „Wer nicht einen persönlichen, selbstbewussten Gott anerkennt, hat keine Religion." Quorum verborum sensum si cum

---

1) Confr. Philosophische Monatshefte B. VIII. 6. Heft.

intentione atque studio comparemus, quae Cusanum in systemate ejus componendo et explicando commovebant, jam ex hoc ipso videamus oportet, eum pantheistarum doctrinis scientem et volentem esse contrarium. Quid enim aliud intendebat et studebat philosophus noster suam philosophiam proponens, nisi id, ut conferret aliquo modo ad Deum cognoscendum eumque modo digno et convenienti laudandum? Hoc eum revera intendisse ex more, quo opera sua concludere solebat, optime potest cognosci. Itaque omnino differt Cusani nostri doctrina a pantheistarum doctrina, quoniam differt Deus Cusani nostri a Deo, quem vel profitentur vel profiteri simulant pantheistae, quia Deus in suo esse ita ab eo cogitatur et describitur, ut essentialiter appareat differre ab entibus finitis, et quia in suo agere ita ab eo proponitur, ut quisque Deum ita agentem necessario habeat dicatque ens esse personale. Mundus autem, quia Deus unicum infinitum est absolutum, est secundum philosophum nostrum naturae finitae et relativae, quippe qui et in suo esse et in suo agere ex infiniti entis pendeat voluntate et intelligentia. Haec tamen dependentia mundi ab ente infinito non ea est, quae est dependentia accidentis ab substantia, quia omnia entia finita non sunt „accidentali illusione, sed essentiali veritate" i. e. omnia existunt propria, distincta subsistentia. Huic de mundi natura doctrinae convenienter et consequenter non subjecit Cusanus hominem fatali necessitati alicui et dirae, sed docet hominem tali pollere voluntatis indole et vi, ut, si ei et quotiescunque ei lubet, vel se ipsum possit vincere et ea possit bona amplecti, quae affectibus molesta esse appareant, et ea vera habere, quae cur sint vera, intellectus non possit perspicere. Sed hic mundus, singulis et indefinite multis partibus constans, pulcherrimae harmoniae est imago, nam unitas illa absoluta, infinita, sapientissima, omnipotens il-

lam varietatem et multitudinem variarum et multarum rerum gubernat . . .

Und [1]) ein Gott ist, ein heiliger Wille lebt,
Wie auch der menschliche wanke;
Hoch über der Zeit und dem Raume webt
Lebendig der höchste Gedanke . . .
Und ob alles im ewigen Wechsel kreist,
Es beharrt im Wechsel ein ruhiger Geist!

---

1) Schiller: Worte des Glaubens.